

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput XVI. Continens Historiam De Vocatione Baptistae, De Initio,
Progressu, Et Successu Praedicationis, Et Baptismi Ipsius, Usque Ad
Baptismum Christi, Matth. 3, Marc. I., Luc. 3.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

CAPUT XVI.

CONTINENS HISTORIAM DE VOCATIONE BAPTISTÆ, DE INITIO, PROGRESSU, ET SUCCESSU PRÆDICATIONIS, ET BAPTISMI IPSIUS, USQUE AD BAPTISMUM CHRISTI,

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

RATIO ORDINIS.

Attenu ordine ea persecuti sumus, quæ in historia Evangelica præcedunt incoationem publici ministerii Baptistæ & Christi. Et quia Baptista missus fuit, ut suo ministerio viam præpararet, priusquam Christus manifestaretur, ac suum ministerium publicè auspicaretur. Rectè itaque hac historia præcedentibus subjungitur, & inaugurationi Christi præmittitur. Quia verò Marcus in hac historia initium ponit Evangelii Christi, quidam hinc quasi novum librum ordiuntur. Sunt etiam, qui initium ministerii Christi ponunt in baptismo Joannis, propterea quod Petrus Act. 1. v. 22. inquit: Jesum ministerium suum incepisse à baptismo Joannis, usque ad diem assumptionis. Sed sensus est, sicut Petrus ipse explicat, Act. 10. v. 37. prædicationem de exhibitio Messia, cœpisse quidem in baptismo Joannis, ipsum verò Jesum unctum spiritu, (quod factum est, cum à Joanne in Jordane baptizaretur,)

post baptismum Joannis cœpisse facere & docere. Quia igitur simplici & certa ratione, quam res ipsa monstrant, libros Harmoniæ Evangelicæ ita distribuere constitutum, ut singulorum ministerii Christi annorum actus singuli tribuantur libri. Cumque primus libere ea complectatur, quæ in Evangelica historia publicam illam incoationem ministerii Christi præcesserunt. Et primus annus ministerii Christi rectè incoetur ab illa historia, quando in Jordane Christus baptizatus, & Spiritu sancto unctus, missus est ad prædicandum, Isai. 61. v. 1. Act. 10. v. 37. Ad ea igitur quæ publicam incoationem ministerii præcesserunt, pertinet etiam hæc historia de incoatione & progressu ministerii Baptistæ, donec Christus venit petens à Joanne baptizari. Atque ita juxta nostram distributionem ad primum librum hæc historia pertinet, ut sequens liber, qui ordine secundus est, contineat incoationem & acta primi anni ministerii Christi.

HISTORIA, DE INITIO, ET PROGRESSU MINISTERII BAPTISTÆ, Matth. 3.

Marc. 1. Luc. 3.

MATTH. 3.

1. Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἄρχεται Ἰωάννης ὁ βαπτιστής, κηρυσσών ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας,
2. καὶ λέγων· μετανοεῖτε ἡγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν ἑβραίων.
3. Οὗτος γὰρ ὄντιν ὁ ῥηθεὶς ἐπὶ Ἠσαΐαι ἔ· προφήτης, λέγοντος· φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ· Ἐτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ.
4. Αὐτός ἦ ὁ Ἰωάννης εἶχε τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἄσπο τριχῶν καμήλων, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφυῖν αὐτοῦ· ἡ δὲ τροφή αὐτοῦ ἦν ἀκρίδες καὶ μέλι ἀγρίον.
5. Τότε ἐξεπορεύετο πρὸς αὐτὸν Ἱεροσόλυμα, καὶ πᾶσα ἡ Ἰουδαία, καὶ πᾶσα ἡ περὶ χωρὸς ἔ· Ἰορδάνης.
6. Καὶ ἐβαπτίζοντο ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ὑπὸ αὐτοῦ, ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν.
7. Ἰδὼν δὲ πολλοὺς τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων ἐρχομένους ἑπὶ τὸ βάπτισμα αὐτοῦ, εἶπεν αὐτοῖς· Γεννημαῖα ἐχιδνῶν, τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἄσπο τῆς μελλούσης ὀργῆς;
8. Ποίσατε ἂν καρπὸς ἀξίος τῆς μετανοίας.
9. Καὶ μὴ δοξήτε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς· Πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ· λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι δυνατὸς ὁ Θεὸς ἐκ τῶν λίθων τετῶν ἐγείρει τέκνα τῷ Ἀβραάμ.
10. Ἦδη δὲ καὶ ἄξιν ἄσπο τῶν ῥίζων τῶν δένδρων κεί· ται. πᾶν ἂν δένδρον μὴ ποιεῖν καρπὸν καλοῦ, ἐκκόπεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται.

1. In diebus illis accedit Johannes Baptista predicans in deserto Judææ.
2. Dicens: penitentiam agite vite prioris, in propinquo est enim regnum colorum.
3. Nam hic est ille, de quo dixit Isaias Propheta, qui ait: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.
4. Ipse verò Joannes habebat indumentum suum è pilis camelorum, & Zonam pelliceam circum lumbos suos: Porro cibus illius erant locuste & mel sylvestre.
5. Tunc egressa ad illum Hierosolyma, & tota Judæa, totaque regio undique finitima Jordani.
6. Et baptizabantur in Jordane ab illo, confitentes peccata sua.
7. Cum vidisset autem multos ex Phariseis & Sadduceis venientes ad baptismum suum, dixit illis: Progenies viperarum, quis vobis submonstravit, ut fugeris à ventura ira?
8. Facite igitur fructus qui deceant penitentiam.
9. Et ne stis hac mente, ut dicatis intra vos ipsos: Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quod possit Deus facere, ut ex lapidibus his filii surgant Abrahamo.
10. Jam verò & securis ad radicem arborum posita est. Omnis igitur arbor, qua non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur.

11. Eyw

11. Εγώ ἰδοὺ βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι μετάνοιαν, ὃ ἢ ὀπίσω με ἐρχόμενος ἰσχυρότερός με ἐστίν, ἔκ ἐμὴ κίμωνος τα ὑποδήματα βασάσαι, αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί.
12. Οὐ τὸ πῦρον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ διακαθαρεύει τὴν ἀλάνα αὐτῆ, καὶ συναξειτὶ σίτον αὐτῆ εἰς τὴν δόξα θήλει, τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει τυλίαισβέσφ.

11. Ego quidem baptizo vos aqua ad penitentiam: ac ille, qui post me venturus est, fortior me est, cuius non sum idoneus, ut calcementa portem. Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igne.
12. Cuius ventilabrum in manu ipsius, & repurgabit aream suam, & congregabit triticum uum in horreum, paleam autem exuret igne inextringibili.

MARC. 1.

1. Αρχὴ τῆ εὐαγγελίᾳ Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ.
2. Ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις, Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸ ἀγγέλιόν μου πρὸ προσώπου σου, ὅς κατασκευάσῃ τὴν ὁδὸν σου ἐμπροσθεν σου.
3. Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, Ἐτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖται τὰς τρίβους αὐτοῦ.
4. Ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ κηρύσσων βαπτίσματα μετάνοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.
5. Καὶ ἐξεπορεύετο πρὸς αὐτὸν πᾶσα ἡ Ἰουδαία χώρα, καὶ οἱ Ἱεροσολυμίται, καὶ ἐβαπτίζοντο πάντες ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ ὑπὸ αὐτοῦ, ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν.
6. Ἦν δὲ Ἰωάννης ἐνδεδυμένος τρίβυλον καμήλης καὶ ζώνην δερμίδιν ὑποὶ πῦρον ὄσφιν αὐτοῦ, καὶ ἑσθίων ἀκριδὰς καὶ μέλι ἄγριον.
7. Καὶ ἐκήρυκε, λέγων, Ἐρχεται ὁ ἰσχυρότερός με ὀπίσω μου, ἔκ ἐμὴ κίμωνος κίψας λυσοῦν τὰ ἱμάτια τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ.
8. Εγὼ ἰδοὺ ἐβάπτισα ὑμᾶς ἐν ὕδατι αὐτοῦ, ἢ βαπτίσει ὑμᾶς ἐν πνεύματι ἁγίῳ.

1. Initium Evangelii Iesu Christi filii Dei:
2. Sicut scriptum est in Prophetis: Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui praparabit viam tuam ante te.
3. Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.
4. Baptizabat Iohannes in deserto, predicans Baptismum penitentiae in remissionem peccatorum.
5. Et egrediebantur ad eum tota Iudaea regio, ac Hierosolymita, & baptizabantur omnes ab illo in Iordane flumine, confitentes peccata sua.
6. Erat autem Iohannes vestitus pilis Cameli & Zona pellicea circa lumbos suos, vescebaturque locustis ac melle sylvestri.
7. Et predicabat dicens: Venit is, qui fortior me est, post me, cuius non sum idoneus, ut procumbens solvam corrigiam calcementorum.
8. Ego quidem baptizavi vos aqua: ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto.

LUC. 3.

1. Ἐτεταρτῆ πεντηκαιδεκάτῃ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου Καίσαρος, ἡγεμονοῦντος Πόντιου Πιλατοῦ τῆς Ἰουδαίας, καὶ τετραρχούντος τῆς Γαλιλαίας Ἡρώδου, Φίλιππου δὲ τῆ ἀδελφῆ αὐτοῦ τετραρχούντος τῆς Ἰτουραίας καὶ Γραχωιτιδος χώρας, καὶ Λυσανίου τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχούντος.
2. Ἐπὶ ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα, ἐγένετο ἡμεῖς Θεοῦ ὑπὸ Ἰωάννην τὸν τῷ Ζαχαρίῳ υἱόν, ἐν τῇ ἐρήμῳ.
3. Καὶ ἦλθεν εἰς πᾶσαν τὴν περιχώρον τῆ Ἰορδάνης κηρύσσων βαπτίσματα μετάνοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.
4. Ὡς γέγραπται ἐν βίβλῳ λόγων Ἠσαΐου τοῦ προφήτου, λέγοντος, Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, Ἐτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου ἐν εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ.
5. Πᾶσα φάραξ πληρωθήσεται, καὶ πᾶν ὄρος καὶ βουνὸς ταπεινωθήσεται, καὶ ἔσται τὰ σκολια εἰς εὐθείαν, καὶ τὰ τραχεῖα εἰς ὁδὸν λείαν.
6. Καὶ οἴσεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ.
7. Ἐλθὼν ἂν τοῖς ἔκ πορευομένοις ὄχλοις βασιλεύσῃ αὐτῶν, Γεννήματα ἐχιδνῶν τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγῆν διὰ τῆς μελλούσης ὀργῆς.
8. Ποίησατε ἐν καρπῷ ἀξίως τῆς μετάνοίας καὶ μὴ ἀρξήσθε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, Πατέρα ἔχομεν τὸ Ἄβρααμ λέγων ὅτι ἡμεῖς, ὅτι δυνατὸν ὁ Θεὸς ἐκ Ἰωνλίθων γένεαι τέκνα τῷ Ἀβραάμ.
9. Ἦδη καὶ ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν ἰωνίων δένδρων κείται, πᾶν ἂν δένδρον μὴ ποιῶν καρπὸν καλόν, ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται.
10. Καὶ ἐπῆρατων αὐτὸν οἱ ὄχλοι, λέγοντες, Τί ἐν ποιήσομεν.
11. Ἀποκρίθεις δὲ λέγει αὐτοῖς, Ὁ ἔχων δύο χιτῶνας, μεταδότεν τῷ μὴ ἔχοντι, καὶ ὁ ἔχων βρώμαλα, ὁμοίως ποιείτω.

1. Anno autem decimo quinto Imperii Tiberii Caesaris Pontio Pilato praefide Iudaea, Tetrarcha vero Galilaeae Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iudaea & Trachonitidis regionis, & Lyfania Abilenes Tetrarcha.
2. Sub pontificibus Anna & Caiapha, factum est verbum Domini super Iohannem, Zacharia filium in deserto.
3. Et venit in omnem regionem finitimam Iordani predicans Baptismum penitentiae in remissionem peccatorum.
4. Sicut scriptum est in libro sermonum Isaie Propheta dicentis: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini rectas facite semitas ejus.
5. Vallis implebitur, & omnis mons & collis reddetur humilis, & sicut quae obliqua sunt directa, & aspera vertentur in vias planas.
6. Et videbit omnis caro salutare Dei.
7. Dicebat ergo ad turbas, quae exibant, ut baptizarentur ab ipso: Progenies viperarum, quis submonstravit vobis ut fugeritis a ventura ira?
8. Facite ergo fructus dignos penitentiae: & ne ceperitis dicere intra vos ipsos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamo.
9. Jam vero & securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, exciditur & in ignem conjicitur.
10. Et interrogabant eum turbae dicentes: Quid ergo faciemus?
11. Respondens autem dicit illis: Qui habet duas tunicas imperiet non habenti, & qui habet escam similiter faciat.

- 12. Ἦλθον δὲ καὶ οἱ τελῶναι βαπτισθῆναι, καὶ εἶπον πρὸς αὐτὸν, Διδάσκαλε, τί ποιήσομεν;
- 13. Ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτούς, Μηδὲν ἄλλο διατάγματόν ἐστιν, παράσθε.
- 14. Ἐπηρώτων δὲ αὐτόν καὶ διαπραξέμενοι, λέγοντες, Καὶ ὑμεῖς τί ποιήσομεν, καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς, Μηδένα διαστείσητε, μηδὲ συκοφαντήσητε, καὶ ἀρκείετε τοῖς ἰσχύουσιν ὑμῶν.
- 15. Προσδοκῶν δὲ ἡ τὰ λαὸν καὶ διαλογιζομένων πάντων ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν περὶ τοῦ Ἰωάννου, μήτις αὐτὸς εἴη ὁ Χριστός.
- 16. Ἀπεκρίνατο ὁ Ἰωάννης ἀπασὶ λέγων, Εγὼ ἰδοὺ ὕδατι βαπτίζω ὑμᾶς, ἐρχεται δὲ ἰσχυροτερός μου, ὃ ἐκ εἰμὴ ἰκανός ἴσται τοὺς ἰμάντας τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ, αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν Πνεύματι ἁγίῳ καὶ ὕδατι.
- 17. Οὗ τὸ πρῶτον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ διακαθαρεῖ τὴν ἀλωνα αὐτῶν, καὶ συναΐξει τὸ σπῖλον ἐν τῷ ὑποδήματι αὐτοῦ, τὸ δὲ ἰσχυρόν κατακαύσει πυρὸς ἀσβεστοῦ.
- 18. Πολλὰ ἰδοὺ ἐν καὶ ἕτερα ἄλλα καλῶν εὐαγγελίων ἐστὶν ἐν τῷ λαῷ.

- 12. Venerunt et publicani ut baptizarentur & dixerunt ad illum, Magister quid faciemus
- 13. At ille dixit ad eos: Ne quid amplius quam quod constitutum est vobis, exigatis.
- 14. Interrogabant autem eum & milites dicentes Et nos quid faciemus? Et ait illis: Ne quem concuriatis, neque calumniemini: & contenti estote stipendiis vestris.
- 15. Expectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Iohanne, num ipse esset ille Christus.
- 16. Respondit Ioannes dicens universis: Ego quidem aqua baptizo vos: sed venit fortior me; cuius non sum dignus solvere corrigiam calcem mentorum: Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igne.
- 17. Cujus ventilabrum in manu ipsius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, & paleas autem comburet igne inextinguibili.
- 18. Multa quidem & alia exhortans evangelizabat populo.

De coagmentatione circumstantiarum hujus Historia.

Nulla est circumstantiarum in descriptione hujus historiae apud Evangelistas diversitas. Et ratio coagmentationis patet ex collatione textus, per columnas dispositi. Hoc tantum notandum est, cum idem dicant Matthaeus & Marcus verbis paululum variatis (Iohannes habebat vestitum ex pilis, &c. Et erat vestitus pilis, &c.) quod quidam ad vitandam (sicut ipsis videtur) ταυτολογίαν Matthaei tantum verba ponunt in Harmonia, Marci vero verba in margine cruce signata ponunt: ut qua videntur non commode posse in contextu inseri.

Sed quia Matthaeus videtur hoc velle dicere, Johannem etiam ante incoatum ministerium tale vestimentum habuisse. Marcus vero videtur significare, quod Johannes etiam tempore ministerii, cum in maxima esset auctoritate, non susceperit alium habitum, sed usitatum retinuerit. Ideo in Harmonia, primum Matthaei verba ponemus: postea Marci verba, eo quo ab ipso posita sunt loca, recēlebimus. Quod ideo annotare volui, ne quis illa repetitione tanquam ταυτολογία offendatur. Reliqua ex collatione cum singulis Evangelistis patent.

HARMONIA HUIUS HISTORIAE EX TRIBUS EVANGELISTIS COAGMENTATA.

b Αρχὴ τῆς εὐαγγελίας Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ τὸ θεῶν, ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις. Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸ ἀγγελῶν μου πρὸ προσώπου σου, ὃ κατασκευάσει τὴν ὁδὸν σου ἐμπροσθέν σου. φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ. Ἐτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖται τὰς τρίβους αὐτοῦ. Ἐν ἔτει ἧ' ὡντεκαίδεκάτῃ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου Καίσαρος, ἠγεμονέουσιν Ποντίῳ Πιλάτῳ τῆς Ἰουδαίας, καὶ τετραρχοῦντι τῆς Γαλιλαίας Ἡρώδῳ, φιλιππῶντι καὶ ἀδελφῶν αὐτοῦ τετραρχοῦντι τῆς Ἰταλίας καὶ Τραχανοῦντι χωρῶν καὶ Λυσανίᾳ τῆς Ἀβιλινης τετραρχοῦντι. ἔσθ' Ἀρχιερεῶν Ἄννα καὶ Καϊάφα ἐγένετο ἡμεῖς ὅτε Ἰωάννης τὸ Ζαχαρίας υἱὸς ἐν τῇ ἐρήμῳ. (καὶ) αὐτὸς ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἔρχεται Ἰωάννης ὁ βαπτιστής, ἡ βαπτίζων καὶ κηρυσσών αὐτὸν ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας. καὶ ἦλθεν εἰς πᾶσαν τὴν περιχώρον τῆς Ἰουδαίας, καὶ κηρυσσών βαπτισμα μετανοίας εἰς ἅρῃσιν ἁμαρτιῶν, καὶ λέγων, μετανοεῖτε, ἤγγικεν γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. καὶ ὡς γέγραπται ἐν βίβλῳ λόγων Ἠσαΐου ὁ προφήτης, αὐτὸς ὁ δὲ δὲν, ὁ ἦρθε ἐκ τῆς Ἠσαΐας ὁ προφήτης, λέγοντι. f φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ. Ἐτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ. c Πᾶσα φάραξ ἐπληρωθήσεται, καὶ πᾶν ὄρος καὶ βουνὸς ταπείνωθήσεται, καὶ ἐσθ' ἡ πεσοῦσα εἰς εὐθείαν καὶ ἀτραχίαι εἰς ὁδοὺς λαίας, καὶ ἰσθμὸς πύλας ἀρῆς τὸ σωτήριον ἔσθ' ὁ θεός. a Αὐτὸς δὲ ὁ Ἰωάννης εἶχε τὸ ἐνδύμα αὐτοῦ ἐκ τριχῶν καμηλοῦ, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφίν αὐτοῦ ἢ τῆς προφῆ αὐτοῦ ἰὼ ἀκροδὲς καὶ μέλι ἀγρίου, καὶ τότε ἐξῆρετο πρὸς αὐτὸν Ἱεροσόλυμα, καὶ

b Initium Evangelii Jesu Christi, filii Dei, sicut scriptum est in Prophetis. Ecce, ego mitto nuncium meum, ante faciem tuam, qui preparabit viam tuam, ante te. Vox clamantis in deserto. Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. c Anno autem decimo quinto imperii Tiberii Caesaris, Pontio Pilato preside Judaeae, Terrarcha vero Galilaeae Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturae & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilenens Terrarcha: sub Pontificibus Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Johannem Zachariae filium in deserto: (Et) a in diebus illis accessit Johannes Baptista, b & erat baptizans & predicans in deserto Judaeae: c & venit in omnem regionem finitimam Jordani, h predicans Baptismum penitentiae in remissionem peccatorum, a ac dicens: Penitentiam agite, in propinquo est enim regnum caelorum: c sicut scriptum est, in libro sermonum Isaiae Prophetae. a Nam hic est ille, de quo dixit Isaia Propheta, qui ait: f Vox clamantis in deserto. Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. c Omnis vallis implebitur, & omnis mons ac collis reddetur humilis: & sicut quae obliqua sunt recta, & aspera vertentur in vias planas: & videbit omnis caro salutare Dei a ipse autem Johannes habebat indumentum suum de pilis camelorum, & zonam pelliceam, circa lumbos suos: Porro cibus illius erant locustae & mel sylvestre. c Et tunc egrediebatur ad eum Hierosolyma & tota

πᾶσα

πᾶσα ἡ Ἰουδαία χώρα, καὶ πᾶσα ἡ περιχώρησις τῆς Ἰορδάνου, ἐξ ἐβαπτίσθησαν πάντες ἐν τῷ Ἰορδάνῳ ποταμῷ... ἔξομολογούμενοι τὰς ἀμαρτίας αὐτῶν... ἔπειτα τὸ βάπτισμα αὐτῶν, εἶπεν αὐτοῖς... ἔρχομαι ἐν ὄνοματι τοῦ κυρίου...

Iudaa regio a totaque regio undique finitima Iordani, c & baptizabantur omnes ab illo in Iordane flumine: confitentes peccata sua. a Cum vidisset autem multos ex Pharisaeis & Sadduceis venientes ad Baptismum suum, dixit ad illos, c & ad turbas, que exibant, ut baptizarentur ab ipso. f Progenies viperarum, quis submonstravit vobis, ut fugeritis a ventura ira? facite ergo fructus dignos penitentia. Et a ne sitis hac mente, c ut incipiatis f dicere intrinsepe vobis: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quid potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamo. Iam vero & securis ad radicem arborum posita est: omnis igitur arbor, non faciens fructum bonum, exciditur & in ignem conicitur. c Et interrogabant eum turba, dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens autem dicit illis: Qui habet duas tunicas, impericias non habenti: & qui habet escas similiter faciat. Venerunt autem & publicani, ut baptizarentur: & dixerunt ad illum: Magister quid faciemus? At ille dixit ad eos: Ne quid amplius, quam quod constitutum est vobis, exigatis. Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Et nos, quid faciemus? Et ait illis: Ne quem conculcatis, neque calumniemini: & contenti estote stipendiis vestris. Expectante autem populo & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Iohanne, num ipse esset Christus ille. Respondet Iohannes, universis, dicens: f Ego quidem aqua baptizo vos ad penitentiam: at ille qui post me venturus est, fortior me est, cuius non sum idoneus ut calcamenta portem. b Erat autem Iohannes vestitus pilis camelis, & pellicea Zona circa lumbos suos, vescabaturque locustis & melle sive vestri, & predicabat dicens: h Qui fortior me est, venit b post me, h cuius non sum idoneus, ut b procumbens h solvam corrigiam calceamentorum. b Et ego quidem baptizavi vos aqua: l Ille vero baptizabit vos Spiritu sancto f & igne, cuius ventilabrum in manus ipsius, & perpurgabunt aream suam: & congregabit triticum suum in horreum c suum, f paleam autem comburet igni inextinguibili. (Ac) c multa quidem & alia exhortans evangelizabat populo.

Periocha Historia de initio & progressu Ministerii Baptistae.

Antea dictum est, verba illa Marci (Initium Evangelii Christi,) non esse posita tanquam prooemium textus Evangelicæ historiae. Sed, quia doctrina in Veteri Testamento de venturo Messia & officio eius vocatur ἐπαγγελία: Prædicatio vero Novi Testamenti de exhibitio Messia, proprie vocatur εὐαγγέλιον, Rom. I. vers. 1. sicut Prophetæ & Psalmi, quando de annunciatione in novo Testamento futura vaticinantur, peculiari verbo נבא quod Græci εὐαγγελίζεσθαι reddiderunt, utuntur. Marcus itaque dicit, publicani ac solennem promulgationem Evangelii seu Novi Testamenti, non fortuito qualemque habuisse initium: sed prædicationis de præsentate iam & exhibitio Messia initium cœpisse in prædicatione Joannis Baptistæ. Idque non casu seu temere, sed tale ejus initium à Prophetis prædictum fuisse, fore, cum Messias in mundum missus, in via jam esset, ad inchoandum regnum & officium suum, ut legatus seu nunciusa Do-

mino peculiari vocatione missus, præiret, non à longè, sed ante faciem ipsius, jam jam ad inchoandum officium suum adventantis, ut viam ipsius ante ipsum præpararet, idque voce non in templo, sed in deserto clamante: Agite penitentiam. Sicut, quando rex aliquis ad occupandum regnum in urbem ingressurus in via est, apparitores præmittuntur ante faciem regis, ut via ingressuro jam regi præparentur. Atq; hoc congruit cum eo, quod Christus dicit Mat. 11, 13: Lex & Prophetæ ad Johannem: & à diebus Joannis regnum cælorum vim patitur. Prædicatio enim de regno cælorum Novi Test. propria est. Significat itaque Marcus se auspiciaturum historiam Evangelicam non à pueritia vel Baptistæ vel Christi; sed ab initio publicæ promulgationis Evangelii: quæ cœpit non primum & immediatè ab ipsius Christi publico ministerio, sed à prædicatione Baptistæ juxta Prophetarum vaticinia. Porro in Malachia una persona de se loquitur

Harm. Tom. I.



tur. Mitto angelum meum qui parabit viam meam ante me. Marcus verò, sicut & Matthæus cap. II. vers. 10. plenioris declarationis gratia, ita citant hanc sententiam, quod sint verba patris ad filium. Nam & apud Prophetam mox sequitur mutatio personæ. Ego mitto, & Dominator veniet. Et quia Marcus & Matthæus similiter prorsus hanc Malachiæ sententiam citant, verisimile est, vulgatam tunc Græcam versionem ita locum hunc legisse, quamquam nunc in Græca versione ita, sicut Ebræa habet, legamus. Conjungit autem Marcus quasi uno contextu duo distincta vaticinia, Malachiæ & Isaia: quorum alter legatum viam Messia præparaturum dicit, alter verò modum præparationis describit, per vocem clamantis. Sed de Isaia vaticinio postea dicendum erit. Vocat autem Marcus [*Evangelium filii Dei.*] Quia enim Matthæus multis ostenderit Christum esse filium Davidis: Marcus statim in principio vocat [*Dei filium,*] ut ostendat necesse fuisse, ut Messias propter officia regni & sacerdotii sui, non tantum Davidis, sed & Dei filius esset. Et Evangelium non rectè annunciari, si Christus non simul & Davidis & Dei filius prædicetur.

Porrò tempus vocationis Baptistæ Lucas diligenter describit, notatis non tantum principibus Judææ & Pontificibus, sed & Syriæ Tetrarcha, & Imperatore Romano. Et non displicet, quod Origènes observavit, prophetias Veteris Testamenti notari tantum juxta tempora Regum in illo populo, ut, visio Isaia in diebus Ozia, Ioatham, Achaz & Ezechia regum Juda. Tunc enim maceries nondum erat diruta. Quia verò Evangelii doctrina proponenda erat & Judæis & gentibus. Ideò licet apud Judæos tempora regum gestarum, juxta annos Pontificum tunc numerabantur: Lucas tamen tempus vocationis & ministerii Baptistæ notat non tantum per Judæorum Pontifices & Tetrarchas; sed & per Syriæ Tetrarcham, & per Romanorum Imperatorem, ut simul ostendatur, sceptrum à Judæis prorsus tunc ablatum fuisse. Qui enim Romano Imperio subiecti erant, tempora designabant juxta Romanorum Imperatorum annos. Nominat autem Pilatum præsidem Judææ. Post relegatum enim Archelaum, ditio ejus, Idumæa scilicet, Judæa propriè dicta, & Samaria, in formam provincie redacta, non per proprium aut ordinarium principem; sed per præsidem non perpetuum, sed qui à Romanis mittebatur, & pro occasione mutabatur, tunc gubernabatur. Et ab eo tempore Pilatus jam quintus præses erat, qui cum per decem annos Judææ præfuerit, & eo anno, quo Tiberius, qui annis 22. regnavit, mortuus est, remotus sit, supputatio ostendit, Anno præfecturæ Pilati tertio vel quarto Iohannem ministerium suum inchoasse. Quod verò ad Tetrarchas attinet, notum est, quod Strabo lib. 13. scribit, regionem Galatarum principio in quatuor præfecturas divisam fuisse: quæ Tetrarchia dicta, & præfecti Tetrarchæ. Varinus etiam Thessaliam dicit in quatuor partes divisam, quæ dicta Tetrarchia. Inde Syrus reddidit, principem quartæ partis. Et Romani devicto Perseo, ut potentiam minuerent, & rebelliones præca-

verent, regnum Mæcedoniæ in quatuor partes dividerunt, & singulis peculiare gubernatores attribuerunt. Hæc est propria ratio & origo Tetrarcharum. Postea portionibus illis amplius in plures partes divisas, remansit, ut fieri solet, singulis partibus per Catachresin, vetus appellatio Tetrarchiæ. Ita Plinius lib. 5. cap. 18. in decapolitana regione sex numerat Tetrarchias. Et capite 23. in Cœlesyria tradit, fuisse Tetrarchias septendecim. Imò cum ab Antonio, Herodi maiori, priusquam Rex designaretur, unâ eam fratre Phælo totius Judææ gubernatio attribueretur, uterque vocatus fuit Tetrarcha Judææ, Ioseph. lib. 14. cap. 21. Gradus itaque hi colliguntur. 1. Imperator Romanus. 2. Rex. 3. *ἑννάρχης*: Ita enim Augustus Archelaum, quem volebat regem appellare, & tamen volebat Tetrarcha majorem esse, appellavit. 4. *ἡγεμῶν*, præses, qui vicario nomine Imperatoris Romani provinciam aliquam administrabat. 5. Tetrarcha. 6. Toparcha. Una enim Tetrarchia in plures Toparchias divisâ fuit. Et tota Judæa divisâ fuit in undecim Toparchias. Ioseph de bello lib. 3. cap. 2. Hæc ex Iosepho non obscure ita colliguntur.

Sed ut ad *τετραρχίας* Judææ revertamur. Eusebius ut iuxta vocabuli propriam significationem ostendere posset, in quatuor portiones, regnum Herodis divisum, ad Archelai, Herodis & Philippi portiones, addit etiam Lyfaniæ Tetrarchiam: quem existimat etiam Herodis filium fuisse. Sed ex Iosepho, ubi Lyfaniæ hujus meminit, ut lib. Ant. 14. & 15. Item de bello Iud. lib. 1. cap. 11. convincitur falsum hoc esse. Nicephorus, quia tres tantum portiones invenit, Archelai, Herodis & Philippi, dicit singulos fratres *τῶν ἡμετέρων* regni paterni obtinuisse. Ita ergo Tetrarcha vocabulum improprie hoc loco accipitur, cum potius *τετραρχίαι* appellandi essent. Posset verò etiam proprie hoc loco *τετραρχίαι* accipi. Quia enim Archelai ditio, duabus reliquis portionibus, Herodis & Philippi æquipollebat. Idem igitur est, ac si Evangelistæ dicerent: Ex quatuor portionibus seu tetrarchiis singulas cessisse Herodi & Philippo, Archelao verò duas, qui ideo *ἑννάρχης* appellatus fuit. Antea enim ex Iosepho annotavimus, Herodem Magnum in Testamento totum suum regnum ita divisisse, ut dimidia ejus pars Idumæa, Judæa & Samaria Archelao, reliquæ medietatis una pars, ut Galilæa & Peræa, Herodi Antipæ, altera pars Philippo cederet, Trachonitis scilicet & Ituræa. Et hi duo à Luca nominantur, quia eo tempore Tetrarchias suas adhuc obtinuerant, cum Archelaus remotus esset. Lyfaniæ verò non filius Herodis, sed Ptolomæi Minæi fuit. Et Tetrarchia ejus non fuit in Judæa, sed in finibus Syriæ: juxta montem Lybanum, sicut scribit Iosephus lib. de bello 14. cap. 11. & cap. 21. Et in illo tractu fit mentio Abela civitatis: unde Abelenâ dicitur, à Metropli Abela.

Quòd verò Lucas dicit. [*Anna & Caiapha Pontificibus.*] Non hunc habet sensum, quasi simul uno & eodem tempore duo summi Pontifices fuissent. Hoc enim per legem non licebat, nec factum esse in historiis legitur. Sed cum

Cum libido praefectorum Romanorum etiam iura templi violaret. Annas, qui iuxta legem toto tempore vitae suae debebat esse summus Pontifex, remotus fuit ab officio & post varias mutationes tandem Cajaphas in ejus locum surrogatus est. Qui, ut minori invidia Pontificatum hoc modo adeptum obtineret, affinitate se conjunxit cum Anna, & hoc modo uterque dictus fuit Pontifex. Cajaphas quidem, qui per Romanos vi contra legem intrusus, officium illud administrabat. Annas vero, qui iuxta legem per totum vitae tempus in eo officio manere debuisset, ab officio remotus, nudum titulum Pontificis retinuit. Vel, quod verisimilius videtur, quod duo illi per vices Pontificatum administrarent, sicut Joannes dicit c. 18. v. 13. Cajaphas erat Pontifex illius anni. Et Actor. 4. v. 6. Annas in Synedrio nominatur *ἀρχιερεύς*, & ipsi sine tali titulo subjungitur Cajaphas.

Et haec omnia ad mysterium regni Messiae pulcherrime quadrant. Ablatum tunc erat Judaeis regnum; ereptus erat Pontificatus: Ita ut jam nec genuinum Regem, nec legitimum haberent Pontificem. Aderat enim verus Rex & Pontifex, per Prophetas promissus, & ad finem jam pervenerat non tantum regnum Judaicum, sed & sacerdotium Leviticum. Quod ad orthographiam attinet, Graeci scribunt *Ἰηάννης* spiritus Annas: Syrus vero scribit *ܝܗܢܢܐ* Hannas, ut à gratia dicatur.

Quod si usitatum supputationem sequimur, Johannes tunc, cum vocatus ministerium suum incoaret, annum aetatis 30. compleverat, & ingressus erat annum 31. Semestre enim natus erat ante Christum, qui mox postea cum tertio mense ministerii Joannis baptizatur, ferè absolvit annum 30. sicut postea dicemus.

Et erudita est Functii observatio: quod supputatio 15. anni Tiberii ostendit ferè mensuram, quo Johannes ministerium suum incoavit. Augustus enim mortuus est 20. die Augusti: & statim ipsi in imperio successit Tiberius. Anni igitur Imperii Tiberii supputantur non à Januario, sed à fine ferè Augusti. Et anno 15. Tiberii missus est Johannes. Opinio igitur est non inconcinna. Primo die Septembris, qui erat festum tubarum, quo fiebat promulgatio anni Jubilaei, vocem clamantis fuisse primum in deserto auditam. Nam & Isa. 40. 2. dicit: Completa est militia ejus. Et annus quinquagesimus (quae supputatio etiam Jubilaeum conficit) merebatur missionem militiae. Johannes igitur, quia illi viam parabat, qui Isa. 61. 2. inquit: ad praedicandum annum acceptum Domino, & ad annunciandam libertatem veram misit me. Ideo non cornea buccina, sed voce clamante in deserto denunciabat, impletam esse militiam, Isa. 40. 2. Et supputatio ostendit, incidisse circa illud tempus trigesimum à prima institutione Jubilaeum. Et quia mense septimo, qui totus ferè festis celebrioribus erat dicatus, magnus erat ex omnibus locis concursus ad templum Hierosolymitanum, illa occasione & commoditate voluit Deus Johannem uti, ut & plures haberet auditores, & mox latius spargeretur fama doctrinae ejus per eos, qui ex festis domum revertebantur, Nā

illo anno solido major erat concurrentium frequentia, propter denunciationem Jubilaei.

Et Johannes scholam aperuit in illo loco, ubi trajectus erat peregrinantium per Jordanem. Et hinc potest intelligi, quod Evangelista scribunt, statim sub initium praedicationis Johannis factum esse magnum concursum ex omnibus locis. (*Exiit universa Hierosolyma, tota Judaea & omnis regio finitima Jordani.*) Hunc successum ministerii Johannis Gabriel praedixerat, Luc. 1. v. 16. Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum suum. Sed Deus voluit ipsum uti ad hanc rem etiam commoditate loci, & occasione temporis. Haec est observatio de tempore incoati ministerii Baptistae, quae multas circumstantias in historia illustrat.

Porro de loco etiam dicendum est: In deserto enim & vocatus est, & ministerium suum incoavit Johannes, primum ideò, quia doctrina sua discedebat ab erroneis opinionibus Sacerdotum templi. 2. Quia finem templi cum toto cultu Levitico instare annuntiabat. 3. Quia tale discrimen etiam, à loco sumtum, Prophetarum inter ministerium Johannis & Christi praedixerant: ut de praecursore, Vox clamantis in deserto, Isa. 40. v. 3. De Christo vero, Dominator veniet ad templum suum, Mal. 3. 1. Lucas etiam in fine capitis primi dicit, Johannem fuisse in deserto usque ad diem *ἀπαδείξας*, hoc est, quo peculiari vocatione divinitus & publice esset renunciandus populo Israel, ad quod officium missus esset à Deo. Usurpari enim hoc vocabulum, quando consules antea creati, populo publice designantur & renunciantur, eruditi norunt. Et 3. Esd. 1. de publicis officiis usurpatur, ut c. 1. & 2. quando rex designatur: c. 8. quando iudices constituuntur. Et Luc. cap. 1. v. 80. deserti meminit propterea: ut constet, Johannem in adolescentia non missum fuisse ad collegia illa, quae Hierosolymis magno numero pro discipulis constituta fuisse. Actor. 6. 9. memoratur, ut ibi literis institueretur: nec cooptatum fuisse in collegium sacerdotum, ut parentis loco in templo ministraret. Sed vixit in deserto, & extraordinario modo Deus ipsum idoneum reddidit ad tantum ministerium: sicut antea saepe fecerat, quando religionem collapsam illustrat aliqua & immediata vocatione voluit restaurare. Sicut Amos. 7. v. 15. manifestum est.

Varia autem de illo deserto Johannis disputata extant. Multi enim ita accipiunt, quasi locus fuerit in viis, ubi inter feras, extra omnem hominum conspectum vixerit. Nicephorus recitat traditionem: Cum Herodes circa Bethlehæm pueros undique ad crudelem caedem conquireret, matrem Elisabetham cum puerulo suo latitandi causa fugisse ad desertum locum, & Johannem postea in deserto illo, ad quod tali occasione pervenerat, mansisse. Haec opinio aliquam habet speciem. Sed Lucas dicit: Spiritum & manum Domini fuisse cum Johanne, ita, ut de pueritia & adolescentia ejus omnes dicerent: Quis putas puer iste erit? Non ergo in deserto in vivo, extra hominum conspectum & conversationem, inter feras, Johannes in pueritia & adolescentia vixit. Ebraeis enim distincta sunt vocabu-

vocabula, deserti & solitudinis: sicut utrumque ponitur Isaia 40. v. 3. Et desertum esse terram minus cultam & fecundam, loca Scripturæ testantur, Isa. 32. v. 15. Erit desertum in Charming. Jerem. 12. v. 10. Posuerunt agrum deserti in desertum. Isa. 51. v. 3. Poneret desertum ejus sicut paradisum: nec frequentibus urbibus, aut villis habitatam. Isaia enim Tyrum destruendum vocat desertum mare. Item: quando David fugit in desertum, 1. Reg. 23. v. 14. & 2. Reg. 15. v. 28. Et Apostoli dicunt, Matth. 14. v. 15. Locus desertus est, eant in proximas villas, &c. Non tamen fuisse solitudinem vastam & inviam, constat. Nam Gen. 36. 24. in deserto pascuntur asini. Psal. 78. v. 52. velut grex in deserto. & Luc. 15. v. 4. Oves in deserto pascuntur. Nec ferarum tantum locus fuit, ubi nulla hominum habitatio esset. Nam 3. Reg. 2. v. 34. Jacob in deserto in domo sua sepultus, scribitur: Nabal habitavit in deserto, 1. Reg. 25. v. 2. Et Ios. 15. v. 62. sex urbes nominantur in deserto Judææ. Rarior itaque & minus frequens, nec adeo culta fuit habitatio in deserto, sicut in aliis locis. Sicut & Christus dicit: Quid existis in deserto videre, hominem mollibus ornatum? Nec tamen interferas, ubi nulla esset hominum habitatio Iohannes vixit. Hæc ideo notanda sunt: quia plerique intelligunt desertum, pro solitudine vasta, quæ nullius hominis, sed ferarum tantum fuerit domicilium, & inde multa portentosa fabricant.

Quærendum autem est, si inveniri possit, quodnam & ubi fuerit illud desertum, in quo Iohannes & vixit, & prædicationem suam exorsus est. Multa autem deserta regio ista habuit, tum in terra Israël, tum in vicinis locis. Sed Matthæus explicat, desertum illud in quo Iohannes vixit, & ministerium suum incoavit, fuisse non Idumææ, non Arabiæ, sed Judææ desertum, hoc est, in tribu Juda situm. Recensentur autem Judææ deserta, 1. Reg. 23. v. 15. & 24. desertum Ziph & Maon. 24. v. 2. desertum Engaddi. 2. Par. 20. v. 20. desertum Thecue, &c. Jam Zachariæ domus fuit in montanis sita, Lucæ 1. v. 39. quæ colligitur ex Ios. 15. v. 54. & 21. v. 13. sita fuisse prope desertum Ziph & Maon. Et verisimile est, quod Stapulensis ex veterum sententia annotat, non procul à Bethlehem, fuisse domum Zachariæ, ad quartor milliaria. Quia igitur in ipso natali solo Iohannis fuit desertum, simplicissime possunt Lucæ verba c. 1. v. 80. ira accipi, quod Iohannes vixerit in deserto Ziph & Maon. Nam Lucas in plurali dicit: Fuit *ἐν τοῖς ἐρημοῖς*. Et descriptio petatur ex 1. Regum. 23. & sequentibus.

Si verò existimabitur Joannes paululum à solo natali & domo paterna discessisse, ratio plana erit. Nam Ios. 15. v. 62. in tribu Juda describuntur sex civitates in deserto sitæ: & est desertum, quod vocatur Engaddi & Thecue. Nec malè convenit, si dicatur, in illo deserto prædicationem suam incoasse. Est enim locus propinquior Hierosolymæ & Iordani, quam Ziph & Maon. Et hoc Evangelistarum descriptioni propius videtur convenire. Et ex deserto Thecue olim Amos vocatus est, cui magna certamina fuerunt cum regibus & præcipue cum sacerdo-

tibus, cum templum terræ motu concuteretur. Est etiam ibi & desertum & solitudo, quorum utrumque in prædicatione Iohannis ponitur, Isa. 40. v. 3. Est ibi desertum Bethaven, quo nomine depravatio religionis describitur in Propheta Osea. Est etiam ibi vallis benedictionis, 2. Par. 20. v. 26. Quæ descriptiones omnes pulchrè conveniunt ad ministerium Iohannis. Sic igitur sine præjudicio melioris sententiæ accipio, Iohannem, ante incoationem ministerii, circa domum paternam & in solo natali vixisse, in desertis Ziph & Maon: quia in plurali dicitur, fuisse (*in desertis*). Quia verò additur: (*usq; ad diem quo ostendendus erat*.) Et Matthæus dicit: (*in deserto Juda Iohannem incoasse suum ministerium*.) Interpretor igitur ipsum appropinquante tempore ministerii progressum, & propius accessisse ad Hierosolymam & Iordanem, & in illo deserto, quod Ios. 15. 42. expresse ponitur in tribu Juda, vel factum esse verbum Domini ad Iohannem: vel ibi primum coeptam ejus prædicationem. Dicit autem Lucas, ipsum subinde longius progressum venisse ad regiones circa Iordanem, & ibi coepisse baptizare, jacto prius in deserto Judææ fundamento doctrinæ. Fuit autem & ibi desertum, non autem desertum tribus Juda, in quo Iohannes primum coepit prædicare: sed qui Iordanem volebant transire, & Hierosolymam proficisci, per illud desertum iter faciebant, sicut Oecolampadius annotavit. Ibi enim Bethabara, id est, domus trajectus erat: per illum locum ingressi erant ducesusua terram promissionis: illac abductus erat populus in Babylonem: per hanc viam ex Babylone redierant. Hunc locum Iohannes ministerio suo delegit, quia propter viam publicam undique ab hominibus frequentabatur, & quia ministerio suo respondebat figura introductionis ex Ægypto, & reductionis ex Babylone. Nam Isa. 40. v. 2. huc alluditur, in deserto, per quod reditus populi ex Babylone futurus erat, parandam esse viam Domini, voce clamantis. Et in illa parte Iordanis, ubi Perzæ, non ubi ipsa Judæa sita est, Iohannes baptizavit: quia impletio figuræ introductionis in requiem non Iohanni, sed Christo reservabatur.

Postea ad Iordanem longius adhuc progressus Iohannes, (*Baptizavit in Ennon, circa Salem*.) Non longè à finibus Galilææ, Ioh. 3. v. 23. Sed hæc pertinent ad sequentem historiam, quæ occasione deserti hoc loco annotare volui. Quibus hoc addo, quod quidam de solitudine Beersabe, in qua Elias & versatus & à Domino vocatus est, 3. Reg. 19. v. 3. cogitant; ut ita externa quædam convenientia sit cum illo Gabrielis, in spiritu & virtute Helix: sed notatio Matthæi de Judææ deserto certior est.

Tertiò de habitu etiam & victu Baptiste ea, quæ ab Evangelistis describuntur, explicanda sunt: priusquam ad declarationem doctrinæ ipsius perveniamus. Quòd igitur Evangelistæ scribunt: (*Vestimentum Iohannis fuisse de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos ejus*. Item: *Cibum ejus fuisse locustas & mel sylvestre, &c.*) Non ita accipiendum est, quasi tunc primum, cum ministerium suum incoaret, illam vitam rationem instituerit: Sed, quod Angelus dicit: Vi-

num

num & siceram non bibit: sed Spiritu sancto implebitur ab utero matris suæ. Illam omnino habet sententiam, sicut Jud. 13. v. 5. de Simfione dicit: Erit Nazareus Dei ex ipso utero. Et ex hoc fundamento, quæ Evangelistæ scribunt de ratione victus & genere vestimentorum Baptistæ, rectè intelligi poterunt, quæ à multis prodigiòse disputata sunt. Nota est enim Lex Nazaræorum, Num. 6. v. 1. Et adhibitis aliis Scripturæ locis colligi potest, Nazaræos fuisse, qui totos se Deo quasi consecrabant, & à communi vivendi ratione se abdicabant, ut liberius vacare possent discendæ legi divinæ: vel castigandi corporis causa, severius vitæ institutum profitebantur. Ita enim ex Amos. 2. v. 12. Thren. 4. v. 7. & Num. 6. v. 1. colligitur. Nomen enim Nazaræorum ex re ipsa factum est: quod scilicet vel voto, & religione singulari, vel peculiari vitæ instituto, & externis quibusdam notis, separabantur ab aliis. Nam & de iis dicitur, qui dignitate & externis quibusdam præminentibus notis separabantur ab aliis. Ita caput Joseph vocatur vertex Nazaræi, Genes. 49. v. 26. Deuter. 33. v. 16. Corona etiam Pontificis & diadema Regis hoc vocabulo appellantur, Exod. 29. v. 6. & 39. v. 29. 2. Reg. 1. v. 10. & 4. Reg. 11. v. 12. Fuerunt autem legales Nazaræi, qui voto se Domino consecrabant, & ad tempus votum illud profitebantur. Talis Baptista non fuit: quia Lex & Prophetæ ad Johannem. Peculiare verò genus Nazaræorum est, sicut de Simfion Angelus dicit: Nazaræus Domini erit, non voto, nec ad tempus, sed ex utero. Quia enim per manum Simfionis Deus magnam salutem facturum erat populo Israël, voluit illum peculiari vitæ instituto ab aliis hominibus separatam esse, ut omnium oculi in ipsum converteri, expectarent, & postea agnoscerent Dei virtutem per ipsum.

Hoc modo juxta angeli prædictionem Johannes peculiari & duriori vitæ instituto, quasi externis quibusdam notis, separatus fuit ab aliis adolescentibus: ut omnium oculi in ipsum coniecti, avidè expectarent & sollicitè observarent, quid Dominus per ipsum facturum esset. Non igitur proprio arbitrio, vel privata intentione, seu *ἰδὲλο ὀρεσικία* Johannes elegit tale genus vitæ, quasi damnaret vestitum molliorem, vel cibum lautorem, aut quòd judicaret sanctitatem sitam esse in vestitu, vel cibo. Regnum enim Dei non est cibus vel potus, Rom. 14. 17. Et finis tunc instabat Levitici ciborum discriminis. Nec voluit peculiarem Eremitarum ordinem instituire. Christus enim & Apostoli illud genus vitæ non sunt secuti: cum quidem hoc Christo objiciebatur, Matth. 11. 19. Fuit igitur Johanni institutum illud vitæ non electicum, sed ab Angelo ex Dei mandato prædictum. Hæc explicatio præbet lucem multis quæstionibus de peculiari genere vitæ Baptistæ. Nec verò Johannes nunc primum, quando ministerium incoavit illam rationem habitus & victus instituit: sed Matthæus indicat, etiam antea Johannem tale vestimentum habuisse. Marcus verò ostendit, ipsum post vocationem, in ipso ministerio, priorem habitum non mutasse, sed simpliciter retinuisse. Utque in Harmonia eò rectius illud

animadverti possit: ideò distinctè verba Matthæi primum posuimus, deinde alio loco Marcii verba subjunximus. Quod igitur Johannes scribit, (*vestimentum habuisse ex pilis camelorum*), hæc simpliciter intelligo juxta Stapulensis sententiam, qui dicit, Palæstinæ populos solitos pilos camelinos nere, & inde vestimenta texere. De pilis certè caprarum manifestè hoc constat. Exod. 25. v. 4. 23. v. 26. & 36. v. 14. inde enim saga texebantur. Et Christus Matth. 11. v. 8. videtur significare, Johannem simpliciter, pro ratione loci, in quo vivebat, usum esse vestimento viliori & duriori. Dicit enim, qui mollia vestimenta gestant, non sunt in deserto, sed in Regum aulis. An verò illius deserti incolæ omnes, hoc genere vestium usi fuerint, non potest certò affirmari. Ego ratione superius polita moveor, ut existimem, Johannem propter peculiare vitæ institutum, paululum etiam à vulgari loci illius vestitu discessisse, & durius genus elegisse, ut Nazaræus esset: hoc est, separatus ipso etiam vestitu à reliquis incolis. Non igitur tam monstrosus fuit Baptista vestitus, sicut pictores integra ac rudi pelle cameli ipsum involvunt: sed cum incolæ in locis desertis vestitu uterentur duriori, sicut Ebræ. 11. v. 37. illorum vestitus, qui in desertis ac montibus in exiliis oberrant, scribitur fuisse ex ovillis & caprinis pellibus. Græci vocarunt *μαλλωτός*, 3. Reg. 19. v. 19. & 4. Reg. 2. v. 7. Baptista verò adhuc durius vestimentum habuit *καυλωτός*: quam non pelle, sed pilis cameli constituisse, Evangelistæ expresse dicunt: Hoc verò velim observari, quòd 4. Reg. 1. v. 8. Elias ex habitu describitur, vir pilorum. Et Zach. 13. v. 4. habitus Prophetarum in genere vocatur pallium pilorum. Forsan igitur Johannes, quia Propheta erat Altissimi, cum per 400. ferme annos prophetiæ dono destituta fuisset gens Judaica, tale indumentum habere voluit, quod tamen ex peculiaribus pilis erat, quia major erat omnibus Prophetis. Hæc sine periculo fidei non ineptè possunt cogitari.

Additur verò de (*zona coriacea*), quæ & ipsa durioris vitæ indicium est. Molliores enim distincti in longis stolis ambulabant: Matth. 23. vers. 5. reliqui utebantur zonis lineis, Levit. 16. v. 4. Proverb. 31. vers. 22. & Exod. 39. v. 27. byssinis. In Apocalypsi verò cap. 11. v. 13. & 15. v. 6. describuntur zonæ aureæ, in luctu Isaias cap. 22. v. 12. nominat cincturam sacci & Isa. 3. vers. 24. pro zona erit funiculus. Describitur autem & Eliæ zona coriacea, seu pellicea, 4. Regum 1. vers. 8. Et quia Johannes, in virtute & Spiritu Eliæ, debebat præcedere Messiam: voluit etiam propter rudiores habitum externum Eliæ referre.

Porro (*de locustis*) etiam multa disputata sunt. Theophylactus dicit, quosdam per *ἀνείδαις* intelligere genus quoddam herbarum, vel fructus agrestes quasi scriptum esset *ἀγέλας*: sed absque testimonio hæc dicuntur. Perottus existimat, indignum fuisse tanto viro, quo non surrexit major, vesci locustis. Quia igitur *ἀνείδαις* vocantur vertices montium, ipse *ἀνείδαις* interpretatur summities herbarum vel olerum, quibus melle confectis, Johannes usus sit in cibo.

b. Sunt, qui caneros intelligunt, quos à piscatoribus, tanquam cibum juxta legem immundum, in ripa abjectos, Joannes comederit: ut finem legis adesse ostenderet. Et sententia valde bona est: sed an vocabuli significatio eam præbeat non video. Græci certe interpretes ubique *δρακον* vel locustam interpretati sunt *ἀνείδα*: & alias etiam in Novo Testamento locustæ ita appellantur. Nec sumendum est judicium ex nostris locustis, animalculis noxiis & venenosis. Leviticus enim c. 11. v. vigesimo secundo inter volatilia munda, quibus vesci liceat, etiam locustas recenset. Et Plinius l. 11. c. 29. dicit, locustas Parthis in cibo gratas esse. Et l. 6. c. 30. scribit, partem quandam Æthiopum, locustis furno & sale in annua alimenta duratis, vivere. Hieron. etiam lib. 2. contra Jovinianum dicit: Orientales & Lybiæ populus, quia per desertum & calidam eremi vastitatem locustarum nubes reperiuntur, locustis vesci moris est. Victus igitur Baptistæ, ut in deserto conveniens loco, non prorsus fuit inusitatus, insolens aut prodigiosus. Eadem etiam ratio est de melle sylvestri. Nam in sylvis illius regionis apes sylvestres seu feras solitas fuisse, tantum mellis agrestis in arboribus conficere, ut copiose in terram usque fluxerit, testatur historia, 1. Regum. 14. v. 27. Et Psalm 81. v. 17. meminit mellis ex petrarum cavernis manantis. Ac notum est, quod sæpè repetitur de terra, fluente lacte & melle. Favum verò mellis, quo Christus usus est, Luca 24. v. 42. arbitrari fuisse aliud genus. Nomen enim habet ab apibus: quanquam etiam illud vocabulum. Reg. 14. v. 27. usurpetur de melle sylvestri, ut forsitan utcumque fuerit ab apibus confectum, & tantum culturæ modò differat: sicut medici de hortensibus & sylvestribus plantis differunt. Esse enim apes, quasdam feras seu incultas, quasdam verò altilis seu cultas, certum est. Syrus habet mel deserti. Suidas (*mel ἀγροικόν*) interpretatur rorem cœlestem, quem ab arboribus collectum, vulgò manna vocant. Rabanus ex itinerrario Arnulphi, Galliarum Episcopi, citat: In deserto Judææ reperiri exiguum genus locustarum, quæ corpusculis in modum digiti exilibus & brevibus, in herbis facillè capiuntur, coctæque in oleo, pauperibus præbeant cibum. Syrus habet *σύν*, quod locustam significat: vel à contracta parvitate, vel ab impletione pugilli, quod manibus seu pugillo capiatur. Esse etiam in eodem deserto arbores, habentes folia lata & rotunda, lactei coloris & melliti saporis, quæ manibus confricentur in cibum. Plinius etiam l. 10. c. 16. genus quoddam mellis describit, quod ab erica frutice colligatur tempore autumnali. Non igitur prodigiosum aliquid est, quod Evangelistæ narrant: Victum Baptistæ fuisse locustas & mel sylvestre. Sed hoc tantum volunt dicere: Baptistam à luxu & deliciis alienum, non lauticias epularum confectatum, sed usum victu tenui, parabili & rusticano, qui in deserto ubique fuit obvius. Christus verò, quando inquit Matth. 11. v. 18. Venit Johannes nec manducans nec bibens, videtur judicari, rationem victus Johanni aliquo modo peculiarem fuisse, quæ non fuerit per omnia communis omnibus

incolis illius loci. Nam & Pharisei propter illam rationem victus, dixerunt: Dæmonium habet. Et hæc de victu Baptistæ.

Quòd si de potu quaeratur: Angelus dicit: Vinum & siceram non bibit. Summa igitur hæc est, quod Johannes non *ἐδρακον* quadam, vel, ut exemplum imitationis statueret, rationem illam vitæ instituerit. Sed quia Angelus genus vitæ ejus prædixerat, ipse per revelationem spiritus intellexit, Dei voluntatem & mandatum esse, ut in ratione victus & vestitus, non ex voto, sed ex utero Nazaræus Dei esset: hoc est, separatus à communi consuetudine. Et factum est hoc ideo, ut externis hisce notis omnium in se oculos converteret, ut intelligerent & expectarent, fore, ut Deus peculiare aliquid in salutem populi sui per istum Johannem incoaret, sicut in Samõne, qui etiam Nazaræus Dei ab utero fuerat, factum meminerant: utque ratio victus probaret, ipsum alienum esse ab omni suspitione, quasi vel captandæ gloriæ vel affectandæ potentia, aut voluptatis causa à templo & usitata forma doctrinæ discederet. Præterea voluit Deus etiam specimen potentia & efficacia suæ in eo ostendere, quòd hominem victu, amictu & toto vitæ instituto rusticum, agrestem & nulla civilitate imbutum, repente evocat ad tale ac tantum ministerium, quod majus est omnium Prophetarum functione. Et talem hominem mox armat tanta auctoritate, ut sit admirationi, non tantum populo, sed ipsis etiam Pharisæis: Imò & Herodi.

QUARTO expendenda est etiam descriptio vocationis Johannis Baptistæ. Licet enim ab utero Spiritu plenus esset, & ex paterna institutione non ignoraret, quid Angelus de futuro suo officio prænuccialet; Noluit tamen proprio motu & privato arbitrio illud arripere. Et Levitæ quidem, publica synedrii auctoritate, tanquam mediata vocatione mittebantur, ut, vel in templo, vel in scholis, docerent: Johannes verò expectavit immediatam divinam vocationem, sicut ipse postea inquit: Nemo potest sibi sumere aliquid, nisi datum sit ei de super. Vocationem ejus Lucas tali phrasi describit, qua immediatæ Prophetarum vocationes describi solent: scilicet: (*Factum est verbum Domini, in eum*), quod significat vel, (*ad Johannem, vel, super Johannem*). Certum enim est, Johannem divinitus & immediatè à Deo vocatum fuisse. Quomodo verò vocatio illa facta sit, Lucas non describit. Hanc enim diligentiam Evangelistarum lectio requirit, ut, quòd in uno loco, primo aspectu, non statim se offert, instituta collatione, cum descriptionibus aliorum Evangelistarum, investigetur. Non igitur secreta tantum inspiratio, aut instinctus Spiritus interior tantum fuit: Sed Johannes Evangelista ita hoc explicat: (*Missus est homo à Deo.*) Et Matth. 11. v. 11. Christus dicit, *ἐξηγήσαται* suscitatus est: id quod de instinctione Spiritus secreta & interiori intelligi posset. Sed ipse Baptistæ Ioan. 1. v. 33. inquit: Qui misit me ad baptizandum, dixit mihi, &c. Ergo quod Lucas vocat (*missus à Deo, factum super Johannem*), fuit vox quædam divina, loquens cum Johanne. Et Matth.

Et Matth. 2. 1. v. 21. dicit Christus, Baptisma Johannis esse à caelo. Ipse etiam inquit: Nisi datum sit desuper, Joan. 3. v. 27. Quid verò vox divina cum ipso in vocatione sit loquuta quæ mandata dederit, ex his locis potest colligi, Joh. 1. v. 6. & 7. Missus est à Deo in testimonium, ut testimonium perhiberet, de lumine. Item: vers. 33. Misit me ad baptizandum, & dixit mihi; Super quem videris Spiritum descendentem, &c. Et proposita ipsi fuisse in vocatione loca, Isa. 40. v. 3. Mal. 3. v. 1. ex Gabrielis annunciatione, & ex crebra Evangelistarum repetitione constat. Describit autem Isaias, quasi dialogismum, inter Deum vocantem, & Johannem vocatum: Vox dicentis: Clama. Et dixi: quid clamabo? Omnis caro fœnum, &c. Vox ergò divina Johanni in vocatione disertè injunxit concionem pœnitentiæ, & quidem ipsam formam præscriptam Isa. 40. & Luc. 1. in verbis angeli & Zachariæ. Accepit deinde mandatum nunciandi, promissum Messiam jam esse in medio Judæorum: & quidem esse in via ad inchoandum suum regnum & officium. Et datum fuit ipsi signum, quo personam Messiam ita agnosceret, ut illud populo Israel manifestaret: descensum scilicet Spiritus in specie columbæ, Jo. 1. v. 33. ut postea testificaretur & digito monstraret. Hic est filius Dei. Ecce agnus Dei. Accepit etiam à caelo mandatum baptizandi, hoc est, novo ritu colligendi Ecclesiam. Et quia angelus dixerat, de virtute & Spiritu Eliæ: ergo in vocatione & hoc mandatum accepit, taxandi populi vitia, falsas Phariseorum opiniones, & convertendi corda filiorum ad veram religionem patrum. De cursu etiam sui ministerii monitum se esse ipse testatur, cum inquit: Joh. 3. v. 30. Me oportet minui, ipsum crescere. Videtur etiam illas revelationes tunc accepisse, quòd excidium gentis Judaicæ vaticinatur, sub Metaphora securis ad radicem arboris posita. Item, quòd Christus in Pentecoste, igne, & Spiritu Apostolos baptizaturus esset. Hæc de ratione vocationis Baptistæ, ex collatione sententiarum Scripturæ, utiliter possunt observari, quam Christus insigni encomio ornat, cum Luc. 7. v. 30. vocat consilium DEI.

Hactenus circumstantias de tempore inchoati ministerii Baptistæ, de loco, de ipsa vocatione, de habitu & victu ipsius exposuimus. Superest jam præcipua hujus historia pars: de doctrina scilicet, ac toto ministerio Baptistæ. Ordo autem historia ita videtur se habere. Vocatio facta est (in deserto,) Luc. 3. v. 2. quod in loco natali, qui Mediterraneus fuit, factum est. Post vocationem mox *ἀπέβηεν*, sicut Matthæus inquit c. 3. v. 1. (accedit prædicans in deserto Judææ:) quod è regione maris mortui fuit. Quibus verbis Matthæus significat, Johannem post vocationem ex suo deserto progressum, & in loco deserti qui Jordani vicinior fuerit, quem Matthæus desertum Judææ nominat, prædicationem cœpisse. Nec verò statim cœpit baptizare, priusquam vocationem suam exposuisset, ac homines doctrina sua, quantum satis erat, instituisset. Sed primum in deserto Judææ, excitato voce clamante hominum concursu, capita doctrinæ, quam in vocatione divinitus acceperat, proposuit: sicut

Harm. Tom. I.

Matthæus ostendit. Postea cum fundamenta doctrinæ suæ jecisset, & homines doctrinam illam illustratione Spiritus sancti certatim amplecterentur, tunc ex deserto Judææ, à mari mortuo, per aliquot milliaria Septentrionem versus progressus, (venit in regionem finitimam Jordanis) sicut Lucas inquit cap. 3. vers. 3. & ibi (cepit) eos, quos doctrina sua imbuerat, aqua in Jordane (baptizare,) Hæc ratio profectionum Johannis in tabulis considerari potest, & utilis est ad circumstantias Evangelistarum intelligendas. Nec mysterio caret, quod prædicationem pœnitentiæ cœpit ad mare mortuum, ubi Sodorum situs fuit: quòdque postea in salubribus Jordanis aquis baptizavit.

In tota autem historia Baptistæ, præcipua observatio doctrinæ ejus esse debet. Capita igitur doctrinæ, quæ in principio proposuit ita ab Evangelistis describuntur: (Veni prædicans Baptisma pœnitentiæ, & remissionem peccatorum: dicens. Pœnitentiæ agite appropinquavit enim regnum caelorum.) Videt lector quasi puncta tantum prædicationis Baptistæ brevissimè notari: sed tamen vocabulis significantissimis. Illa igitur, ut vera sententia erui possit, expendenda & explicanda sunt. Et ipsa historia quidem explicat res ipsas: Johannis pœnitentiæ fuisse de agnoscendis & confitendis peccatis: de fugienda ira Dei & igne inextinguibili; quæ postea declarabuntur. Sed nunc de vocabulis parum dicemus.

Verbum igitur *μετανοεῖν*. Græca compositione, quia opponitur τῷ πνεύματι, significat post factum aliter & rectius sapere, ad sanam mentem redire, priorem sententiæ mutare, ac diversum ab eo, quod prius existimaveras, sentire. Ebraei hoc ita expriment: quando dicunt redire ad cor. Et Luc. 15. v. 17. In se reversus Acolastus. Nam & Rhetores *μετάνοιαν* vocant Schema, quando ipse, qui loquitur, se reprehendit, & quod prius dixerat, posteriori ac meliori sententiæ corrigit, & commutat seu retractat. Et hæc vocabuli significatio pulchrè convenit ad illud, quod angelus dixerat: Convertet corda patrum in filios, & inobedientes ad prudentiam justorum. Quas verò persuasiones Johannes taxaverit, & qualem mentis seu sententiæ mutationem verbo *μετανοεῖν* docuerit, inde potest colligi. Cum enim variarum sectarum variè tunc essent opiniones, & mirificæ disputationes, Johannes illas ut vanas & falsas redarguit, & docuit abjiciendas. Quia non fuisset hæc *φρονησις* justorum Patriarcharum: sicut Gabriel loquitur Luc. 1. v. 17. & quia in via jam sit ille Propheta, quem solum audiendum Deus præcepit. Deut. 18. v. 15. Deinde, quia antea fuerant in ea sententiæ, partim, quod suis operibus justi & sine peccato essent, ut Pharisei: partim, quòd licet malè viverent, non tamen timendam sibi esse iram DEI & æternam damnationem, quia Deus non sit tam severus, sicut illi, qui inter Sadducæos Epicurei fuerunt, senserunt: Johannes igitur illas persuasiones taxavit, & sonora voce aliam sententiæ ostendit: omnes scilicet esse sub peccato, etiam Phariseos, qui sanctissimi tunc habebantur: Et addidit severas comminationes, de ira Dei & igne inextinguibili.

O

Tertio,

Tertio, quia vulgaris erat persuasio de prerogativa carnis, propterea quod essent de Abrahami femine: Item, posse unumquemque vel cultibus Leviticis, vel operibus disciplinæ moralis, sive juxta legem, sive juxta traditiones, iram Dei effugere ac vitam æternam promereri: Johannes istas persuasiones reprehendit, & ostendit, nulla alia ratione, & nullis operibus, nisi per & propter solum Christum, peccatores posse iram Dei & ignem æternum effugere. Hoc enim est, quod docuit de regno cœlorum, & de remissione peccatorum: sicut mox ostendemus. Hæc, quod ad res ipsas, certa & vera sunt, atque ad significationem vocabuli μετανοεῖν pulcherrimè congruunt, ac inde extruuntur.

Sed quia vera pœnitentia, non est actus tantum mentis seu intellectus, sine veris motibus in voluntate & corde: videndum igitur est, quid præterea vocabulum μετανοεῖν complectatur. Vera est autem communis illa regula: Quod verba notitiæ apud Ebræos, complectantur etiam simul, qui inde sequuntur affectus. Sicut Deus dicitur respicere humiles, & nosse viam piorum. Hoc loco verò Regula illa inde confirmatur, & illustratur si consideretur, cui dictioni Ebraicæ verbum μετανοεῖν apud Græcos interpretes respondeat. Ex illis enim fontibus de verbi μετανοεῖν emphasi rectissimè statuitur. Constat autem Græcos, sicut multis exemplis probari posset, per verbum μετανοεῖν & μεταμελῆσαι, reddidisse Ebræum נחם quod propriè significat, quando ex admonitione & consideratione in intellectu, sequitur mutatio affectuum in voluntate & corde, vel ad commiserationem, vel ad consolationem, vel ad pœnitentiam, & in posteriori significatione Græci reddiderunt μετανοεῖν. Et illa significatio doctrinam de pœnitentia pulcherrimè illustrat. Quia enim Johannes ostendebat omnes esse sub peccato: & addebat severissimas comminationes de ventura ira & de igne inextinguibili. Ex illa admonitione & mentis consideratione, operante Spiritu sancto, sequuta fuit talis mutatio: quod ubi antea in voluntate & corde fuerat, vel apud Phariseos persuasio, fiducia & gloriatio de propria iustitia, vel apud Epicuræos securitas & contemptus iræ Dei, complacentia & delectatio in peccatis, ibi secuta fuit humiliatio, agnoscens imperfectionem & immunditiem operum: Item, displicentia & detestatio peccati, dolor de peccatis, pavor & tristitia ex timore iræ Dei & ignis æterni. Ex quibus motibus postea secuta fuit conversio à peccatis, mutatio propositi, & talis sollicita cogitatio, sicut ipse Baptista inquit: Quis monstravit vobis, ut fugeritis à ventura ira. Hæc omnia emphasis Ebræi vocabuli complectitur, ut Exod. 13. v. 17. Ne fortè pœniteat populum, cum viderit bellum & revertatur, Jer. 8. v. 6. Non est quispiam quem pœniteat mali sui, Jer. 18. v. 8. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, Jud. 21. v. 5. Cum videret populus fermè extinctam tribum Benjamin, pœnituit eum. Et Sap. 5. v. 3. de dolore animi in damnatis usurpatur. Et declarationis gratia sæpius additur verbum μετανοεῖν & μεταμελῆσαι, Isa. 46. v. 8. Græci reddiderunt μετανοεῖν & μεταμελῆσαι: Ἐπιστρέψατε τὴν καρδίαν. Act. 3.

vers. 19. Pœnitentiam agite, & convertimini: Item, v. 26. Convertatur unusquisque à malitia sua. Ita Gabriel prædicationem pœnitentiæ Baptista ita circumscribit: Multos convertet ad Deum, Luc. 1. v. 16. Atque ita Act. 20. vers. 21. Paulus dicit, se docuisse pœnitentiam in Deum, Jer. 36. v. 7. Convertatur unusquisque à via sua pessima, Jer. 31. v. 19. Postquam conversus sum, egi pœnitentiam. Inde Syrus reddidit verbo נחם quod significat reversionem seu conversionem; quando scilicet non perseveramus aut pergitur in peccatis, sed ad Deum, unde aversumus, convertimur, Ebræis est verbum נחם. Atque inde fit, quod vocabulum Pœnitentiæ pro tota conversione vulgò usurpatur & accipitur. Et quia apud Græcos interpres verbum μετανοεῖν construitur cum præpositione πρὸς & πρὸς. Inde Act. 8. vers. 22. dicitur: μετανοήσον πρὸς καρτίαν: Age pœnitentiam à malitia tua. & 2. Cor. 12. v. 21. Quia non egerunt pœnitentiam πρὸς ἀκαθαρσίας, de immundicia sua. Et Paulus motus illos consequentes in vera pœnitentia diligenter describit. 2. Corinth. 7. v. 9. Gaudeo, quia contristati estis ad pœnitentiam. Quæ enim secundum Deum est tristitia, pœnitentiam operatur in salutem. Ecce enim hoc, quod secundum Deum contristati estis, quantum in vobis genuit studium, apologiam, indignationem, timorem, desiderium, zelum, vindictam? &c. Hæc de vocabulis ideò diligentius consideranda sunt, ut intelligi possit, quàm multas res Evangelistæ complectantur, quando unico verbo dicunt, Baptista prædicasse, μετανοεῖτε, pœnitentiam agite. Act. 20. doctrina de pœnitentia rectius intelligi potest, vocabulo diligenter explicato. Atque hæc, quæ diximus, inde confirmantur & illustrantur, si consideretur, qualis mutatio tum, apud Phariseos & Sadducæos, tum apud vulgus, qui ad Baptista prædicationem, pœnitentiam, egerunt, secuta fuerit, sicut in textu sequenti ostendemus.

Alterum caput doctrinæ Baptista fuit, (*Appropinquat enim regnum cœlorum.*) Et observanda est rationalis particula ἔσθι. Est enim invitatio ad pœnitentiam, & per illam particulam ratio, cur agenda sit pœnitentia, talis redditur: Quia Messias cum cœlesti suo regno appropinquet, seu veniat salvare, non eos, qui vel Pharisæica opinione & persuasione iusti sibi videntur; vel qui Epicuræa securitate præfracti in peccatis perseverant, sed veniat, peccatores vocare ad pœnitentiam, & sanare contritos corde. Ideò inquit μετανοεῖτε: (*Appropinquat enim regnum cœlorum.*) Nam per pœnitentiam via adventanti Messia preparatur. Et Medicus non illis, qui sani sibi videntur sed qui ægroti morbum suum & intelligunt & sentiunt, gratus & utilis est. Item sicut habet dictum Ambrosii: Nemo rectè egerit pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam. Hæc omnia complectitur rationalis particula ἔσθι. (*Agite pœnitentiam: quoniam appropinquat regnum cœlorum.*) Sensus autem de regno cœlorum appropinquante hic est. Adventum & regnum Messia dudum promissum & expectatum jam appropinquasse & propè adesse; utque

utque populo eximat carnales opiniones & cogitationes de externo, politico & temporali regno Messiae, quale Pharisei expectabant, vocat illud ex Danielis cap. 2. v. 44. regnum caelorum: propterea quod regnum ipsum sit caeleste, bona ejus caelestia, & administratio etiam spiritualis, & caelestis. Quid vero Baptista sub appellatione regni caelorum complectatur, non ex conjecturis divinandum est, sed ex certis Scripturae testimoniis ostendi potest: quod doctrinam de persona, de officio & de beneficiis Christi intelligat. Quod enim Evangelistae hoc loco dicunt, Johannem praedicasse regnum caelorum, hoc Paulus Act. 19. v. 4. ita explicat: Baptistam docuisse, ut crederent in venturum post ipsum, in Christum Jesum. Et Marcus ac Lucas hoc loco expresse in praedicatione regni caelorum, nominant remissionem peccatorum. Zacharias etiam Luc. 1. v. 77. vaticinatur, doctrinam Johannis hanc futuram: quod oriens ex alto nos visitarit, ut faciat redemptionem populo suo de manu inimicorum: ut illucescat his, qui in tenebris sedent, ut accipiant remissionem peccatorum, per viscera misericordiae Dei: & pedes dirigantur in viam pacis, ad vitam aeternam. Haec omnia Evangelistae complectuntur, quando dicunt Baptistam praedicasse, de regno caelorum. Praecipue vero Johannes Evangelista ea, quae reliqui brevissimè, quasi per puncta, de Baptista doctrina notant, ipse c. 1. & 3. plenius explicat. Haec ratio interpretationis omnium est certissima, qua brevius dicta ex aliis locis, ubi eadem plenius repetita sunt, explicantur. Quare autem Baptista officium & beneficia Christi appellatione regni caelorum describat, ex c. 11. v. 20. Luca colligi potest: quod scilicet tunc dicitur regnum Dei ad nos pervenire, quando Christus digito Dei Satanam expellit, & regnum ejus destruit. Est enim fortis armatus, & ipsa lege divina munitus, detinens nos propter peccata captivos, unde nullius creatura viribus liberari possumus: sed ad liberationem opus est fortiore Christo scilicet, ut is suum regnum opponat regno Satanæ, & merito ac efficacia obedientiae & passionis suae regnum Satanæ destruat: quod ad doctrinam redemptionis pertinet. Deinde haec beneficia verbo ac Sacramentis offert, per quae operatur in nobis poenitentiam & fidem: & gratia & potentia sua per fidem eripit singulos de potestate tenebrarum, & transfert nos in regnum gratiae, Col. 1. v. 13. quod ad doctrinam justificationis pertinet. In illo regno, in hac nostra infirmitate tuetur, defendit & conservat nos, contra Satanam, mundum & carnem, ut tandem ad regnum vitae & gloriae aeternae transferamur. In illo etiam regno caelorum renovat & gubernat credentes Spiritu sancto, ut ipsi serviant in justitia & sanctitate: quod postea Baptista de fructibus poenitentiae plenius explicat. Atque hac ratione sub appellatione regni caelorum, totum officium & omnia beneficia Christi pulchre comprehenduntur. Et intelligi hinc potest, quare propter majorem emphasim illa omnia appellatione regni caelorum quasi depingantur.

Tertium caput doctrinae Baptistae hoc loco describitur: quod (*praedicavit baptismum*), hoc

Harm. Tom. I.

est, docuerit mandatum sibi divinitus, ut novo ac peculiari ritu baptismi Messiae adventanti Ecclesiam colligeret, & homines ita ad suscipiendum Christum prepararet, utque ad doctrinam suam ac promissionem regni caelorum credentibus ritu illo applicaret & obsignaret. Novus autem ille ritus baptizandi eo citius & facilius apud populum fidem & auctoritatem invenit: quia sicut forma doctrinae Johannis in Prophetis praedicta fuit, ita etiam de baptismo in novo Testamento, quod Johannes incoavit, vaticinia apud Prophetas extant, iisdem ferme verbis, sicut Johannes docuit baptismum in remissionem peccatorum, Zach. 13. v. 1. In die illa aperietur domui Davidis & Hierusalem fons, in ablutionem peccatorum. Ez. 36. v. 25. Effundam super vos aquas mundas, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Syrus habet peculiare verbum *ܡܘܕܐ* quod sacram ablutionem significat: Sed quia purificationes externas, quae apud Judaeos variae erant, & vel sanguinis, Ex. 24. v. 6. vel aquae cinere vaccae ruffae preparatae, Num. 19. 9. aspersione, perfusione, mersione vel ablutione fiebant, Graeci vocarunt *βαπτισμὸς ἢ καθάρματι*. Judith. 12. 7. & 4. Reg. 5. 14. Marc. 7. 4. illud vocabulum usitatum & notum Evangelistae retinuerunt: utque à Leviticis baptismis suum baptismum Johannes discerneret, docuit se simplici aqua, sine additione vel cinerum vel alterius rei, baptizare, non Levitica vel ratione, vel opinione, vel sine, sed in fide promissionis regni caelorum seu Christi adventantis ad remissionem peccatorum, Marc. 1. v. 4. Et ne putetur fuisse muta ceremonia, valens ex opere operato, Marcus dicit: (*Johannem praedicasse baptismum*), hoc est, verbum adjunxit aquae. Et Paulus dicit, Act. 19. v. 4. Johannem baptizandos docuisse, ut crederent in Christum, hoc est, fidem voluit accedere ad suum baptismum. Ad differentiam igitur appellavit hoc suum lavacrum, baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum: ut ostenderet, quae esset forma baptismi sui, quid contineret, quid afferret, quis esset ejus finis & utilitas. Vocabatur autem baptismus poenitentiae, quia erat commonefactio, testificatio & professio opus esse poenitentiae, & eos qui baptismum illum recipiebant, talem & agere & habere poenitentiam debere, qualem Baptista docebat: Et quia etiam operatione Spiritus per verbum, efficax symbolum erat ad poenitentiam, hoc est ad mortificationem: vel, ut Syrus habet, erat baptismus conversionis. Quia vero praeterea etiam in baptismo Johannis erat verbum, seu promissio regni caelorum, hoc est gratia Dei, & remissionis peccatorum: & quia fides in Christum venturum, quae in baptismo Johannis exigebatur, Act. 19. v. 4. & promissio regni caelorum, Matth. 3. v. 2. Marc. 1. v. 5. Luc. 3. v. 3. baptismum illo obsignabatur, ideo vocabatur baptismus in remissionem peccatorum. Haec simplex, vera & plana est horum verborum sententia. Sicut & Petrus Act. 2. v. 38. hac phrasi utitur: Baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum. Et pater Zacharias illa etiam phrasi usus fuerat, de ministerio Johannis, Luc. 1. v. 77. Ad dandam scientiam plebi ejus, in remissione peccatorum

catorum ipsorum. Per ministerium igitur Johannis, & verbo, & baptismo Spiritus. credentibus contulisse remissionem peccatorum, ex hac descriptione certum est. Et Baptista postea dicit, ipsos ideo suscepisse hunc baptismum, ut effugerent iram Dei. Qui verò contra manifestaverba contendunt, in baptismo Johannis credentibus non datam remissionem peccatorum, illi coguntur verba illa mirabiliter torquere: ut scilicet clautula illa (*in remissionem peccatorum.*) non referatur ad baptismum, sed ad vocabulum poenitentiae. Sed poenitentia, quæ fuit baptismi Johannis, fuit in remissionem peccatorum: quid igitur prohibet: quò minus dicamus, poenitentiam illum baptismum datum credentibus in remissionem peccatorum? Alii contra illum textum interpretantur, quòd Johannes prædicavit non de suo baptismo, sed de futuro Christi baptismo, qui in remissionem dandus esset. Quidam verba ita explicant, quòd Joannes baptizavit baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum, non quæ in illo baptismo credentibus daretur; sed quæ à longè subsequutura esset, in alio baptismo. Hæ sunt manifestæ contorsiones & perversiones textus. Sed ita fit quando verba Scripturæ, ad præconceptas opiniones torquentur: hoc est, sicut Hilarius loquitur, quando quis intelligentiam, ad verba Scripturæ affert, non inde refert, & cogit videri hoc verbis Scripturæ contineri, quòd antelectionem præsumserit intelligendum. Sed totam hanc disputationem, de baptismo Johannis & Christi, in examine Tridentini concilii plenè explicavi: quam, quia inde peti potest, hoc loco adscribere nolui.

Hæc de capitibus prædicationis Baptistæ sicut hoc loco ab Evangelistis consignata sunt, (de reliquis enim postea ordine, in textu dicemus) annotare volui, ne quis existimet Johannem brevissimas & paucissimas illas vuculas semper ingeminasse, sine pleniori aliqua declaratione: ut que ostendatur, quomodo ex vera vocabulorum significatione, ex historiæ circumstantiis, & ex collatione aliorum locorum Scripturæ, vera sententia doctrinæ Baptistæ colligi possit. Quam quasi per locos communes explicare, non est nostri instituti: sed fundamentum tantum in textu ostendimus.

Porro testimonium Isaïæ, quòd in ea prædicatione Joannis subjicitur, potest ita accipi, ut quasi in continua oratione sint verba Johannis probantis, confirmantis & explicantis doctrinam suam verbis Prophetæ. In Matthæo verò manifestè sunt verba Evangelistæ. Quomodo cunque verò accipiantur, sensus est: Joannem non novam peregrinam aut commentitiã doctrinam attulisse; sed illam ita prædictam, & antea quasi delineatam, à Prophetâ Isaïa. Cùm is enim captivitatem Babylonicam antea prædixisset, subjungit c. 40. vaticinium, non tantum reductum iri populum captivum, in terram promissionis, sed & redemptionem per Messiam promissam in terra illa completam iri: ideo promissionem de utraque liberatione conjungit, & ex regno Sathanæ. Dicit igitur proponendam hanc consolationem: quòd completa sit militia populi, hoc est, finem captivitatis & potestatis hostium, cum quibus

hactenus conflictati fuerint, fore, misso Christo redemptore, & dimissa iniquitate, non accepturum populum stipendium peccati, sed ejus loco ex redemptione accepturum duplicia: reconciliationem scilicet & renovationem. Mox verò Isaïas addit, de primo solenni præcone hujus consolationis: quem Johannem esse Matthæus affirmat. Et ministerium Johannis Propheta valde illustribus verbis describit. Vox, inquit clamantis. Quòd scilicet Johannes tantum ministerium vocis præbeat, ipse autem Deus per Johannem clamet. Sicut de ministerio Ecclesiæ in genere Christus dicit: Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus patris mei. Et Paulus etiam 2. Cor. 5, 18. ex Isa. c. 59. v. 2. ita loquitur. Posuit in nobis verbum reconciliationis, Deo exhortante per nos. Possit etiam intelligi, quòd Johannes sua voce clamaturus sit: ut sensus sit, Vox Viri clamantis. Et in Ebræo potest legi, Vox clamans: Sed prior sententia illustrem præbet commentationem ministerii. Vocat autem clamantem vocem, quia Johannes publicè, sonora voce, quæ undique homines excitabat, magna cum gravitate, eximio zelo, & insigni auctoritate, hoc est, sicut Gabriel inquit, in spiritu & virtute Eliæ, doctrinam suam tradidit: sicut Isa. 58. v. 1. in hanc sententiam scriptum est. Clama ex gutture, ne parcas, exalta instar tubæ vocem tuam. Et summa est, (*Parate,*) sicut Evangelistæ, vel expurgate, sicut Ebræus legit, (*Viam Domini, Rebus facite,*) vel ut Syrus reddidit, complanate, æquabiles reddite (*semitas ejus.*) De particula verò (*in deserto*) disputatur, quò sit referenda. Apud Ebræos videtur ad sequentia referenda: sicut sequens membrum ostendit. In solitudine parate semitas ejus: ut sensus sit, cùm propter diuturnum exilium terra promissionis tanquam desertum & solitudo esset facta, ut in illa terra, quæ quasi deserta erat, parent viam Domino, reducenti populum ab exilio. Quæ sententia etiam ad spiritualem liberationem per Christum rectè accommodari potest: ut scilicet in cordibus nostris, quæ sunt tanquam solitudo, in quibus nihil boni, sed peccatum habitat, pareatur via Domino, adventanti ad nos cum regno suo: sicut Gabriel ad Zachariam dixerat, ut præparet Domino plebem instructam. Alii ad præcedentia particulam illam referunt: quòd vox illa in deserto clamet, per quòd populus ex Babylone transiturus sit, & rediturus per Jordanem in terram promissionis. Et quia in deserto ultra Jordanem Johannes prædicavit, judicavit hoc modo locum ministerii Johannis à Prophetâ monstratum. Quæ verò in sententia Isaïæ sequuntur, prorsus Metaphorica sunt. (*Omnis vallis implebitur, omnis mons humiliabitur, obliqua erunt in directa, asperas sicut plana.*) Adidit autem Propheta fore, ut gloria illa Domini non Judæis tantum & proselytis reveletur, sed (*ut omnis caro videat salutare hoc Dei:*) sicut Simeon in suo Cantico hoc explicat de Judæis & gentibus. Vult igitur ut regno Messie adventanti, & apud Judæos & apud gentes (hæc enim est omnis caro) via præparetur, sicut regi adventanti viæ parantur, hoc modo, ut si quæ loca vel eminentiora vel depressiora occurrant, ut illa terra vel ablata vel injecta complanentur: & si quæ asperiora impedimenta, obstacula vel offendi-

fendicula sint in via, illis remotis, via plana red-
datur, nec per ambages aut circuitiones, sed per
viam directam iter sternatur. Hæc Metaphoræ in
paranda via externa planæ sunt. Quod verò sub
illis Metaphoris doctrina pœnitentiæ & fidei in
Christum intelligenda sit, ipse Propheeta explicat,
cum inquit: Clamabis omnem carnem & glori-
am populi esse, quasi florem, qui vento asperiori
exarescit. Illud autem verbum collo, sicut, quod de
Christo salutari Dei concionatur, manere in
æternum. Ex illa Propheeta indicatione facilis &
plana est accommodatio, continuæ hujus Meta-
phoræ, ad doctrinam Baptistæ, & in genere ad
doctrinam de pœnitentiâ; ut sc. montes & colles,
hoc est, verè Phariisaica persuasio, extollens se
opinione propria sapientiæ & justitiæ, ac Epicu-
rea opinio securitatis, exerto collo, sicut Scriptu-
ra loquitur, ambulans in peccatis, concione pœ-
nitentiæ de peccato, de ira Dei & igne inextin-
guibili deprimatur, valles verò exalitentur, hoc
est, conscientia ita depressa consolatione fidei in
Christum rursus erigantur. Omnes etiam amba-
ges ac circuitiones de variis opinionibus & viis
pervenienti ad vitam æternam præcendendas, ut
unica compendiaria ac sola recta via per Chri-
stum, quæramus gratiam Dei ac salutem. Et hoc
est obliqua facere recta. Σκολια enim de obliquis
viarum anfractibus & aberrationibus apud Græ-
cos interpretes dicuntur, ac rectæ viæ opponun-
tur, Prov. 2, 13. & 14, 2. Et ἡγερέσια, sunt viæ, quæ
propter salebras asperæ sunt. Ita Deut. 2, 1, 4. vocat
vallis ἡγερέσια, dura & saxosa, quæ ideò arari
& feri non potest. Impedimenta igitur, quæ ob-
stant, quò minus regnum Christi ad nos pveni-
at, hæc Metaphora docet amolienda: opinionem
sc. propriæ justitiæ, & persuasionem impunitatis
seu securitatis: ita ut dura & asperæ viæ in leves,
faciles & expeditas vertantur: quod fit, si salebra-
rum asperitas conteratur & contundatur. Hoc
enim significat λείωνά verbo λείω, quod contun-
dere significat: & idem etiam Ebraicam שרר si-
gnificat, ut quando terra frangitur & scinditur:
quæ ad doctrinam contritionis pulcrè conveni-
unt. Vult enim Dominus habitare in fracto &
contrito spiritu. Is. 66, 2. Ita ergo pœnitentiâ & fi-
de preparatur Christo via, ut beneficiis regni
cœlorum, quæ in vera pœnitentiâ fide accipiun-
tur, ad nos veniat. Et illa Metaphorica descriptio-
ne montium, vallium, salebrarum & anfractuum
Propheeta ostendit, in quam misera corruptione
& perversitate Christus naturam nostram inven-
niat: ne quis naturâ se dignum & idoneum ad re-
gnum cœlorum existimet. Ac simul docet, per
quas viarum asperitates & salebras Christum gra-
tia sua ad nos penetrare necesse sit, ut ad regnum
cœlorum nos perducatur. Atque ideò utitur non
imperativo sed futuro tempore: ut simul sit man-
datum & promissio. Humiliabitur, exaltabitur,
erunt recta & plana: ut ostendat, Deum per mini-
sterium verbi illa in nobis operari & efficere vel-
le, ut viam Domino parare possimus. Sicut redi-
tus ex captivitate Babylonica videbatur impossi-
bilis, propter varia obstacula & multas difficulta-
tes: Deus verò promisit effecturum se, ut via
paretur. Et hæc etiam eo pertinent, ut illi, qui
spiritum contribulatum, cor contritum & humi-

Harm. Tom. I.

liatum habent, ac fide ad gratiam DEI suspirant,
non dubitent, Christum sibi gratia regni sui ad-
esse. Talis enim est via Domini.

Hactenus de capitibus doctrinæ Baptistæ, sic-
ut hoc loco describuntur, diximus. Subjungunt
autem Evangelistæ de successu ministerii Bap-
tistæ: quòd sc. Deus huic voci clamanti addiderit
suam virtutem & efficaciam, quòd undique gre-
gatim homines ad audiendam Johannis vocem
confluxerint. Quòd eò ardentius fecerunt, quia
omnium animi ad Messia adventum erecti
erant. (Tunc egrediebantur ad ipsum Hierosolyma, Ju-
dea circumjordanis Regio.) Non enim Johannes
ipse civitates & vicus prædicatione sua peragra-
vit, sicut, Christus & Apostoli fecerunt: sed homi-
nes ex urbibus & vicis in desertum ad ipsum egre-
diebantur. Nominantur autem illi potissimum,
qui in vicinia illius deserti, ubi Johannes prædi-
cabat, habitabant: Regio sc. in tribu Juda, Hie-
rosolymita: in tribu Benjamin, & ἡβελωπος Jor-
danis. Ita autem Gen. 13, v. 12. & 19, v. 28. vocat-
ur tractus ille, ubi Sodoma sita fuerunt. Græci
enim בדר quod significat regionem in certo ali-
quo circuitu jacentem, reddiderunt ἡβελωπος: ut
planities seu tractus circa civitatem aliquam ita
vocatur Deut. 34, v. 3. Esd. 9, v. 12. Judith. 3, v. 9. Si-
gnificat itaq; hoc loco ἡβελωπος tractum in utra-
que ripa Jordanis. In illo enim loco Johannes bap-
tizavit. Dicitur autem (com. Judæa) exiisse eò,
quòd ex omni ætate, conditione & sexu exierunt.
Nec verò curiositatis gratia, aut studio novitatis
audierunt Johannem: sed & baptizabantur ab
ipso. Quia verò neminem baptizabat Johannes,
nisi qui se doctrinam illam amplecti profiteba-
tur: plurimi ergo doctrinam ejus amplexi fue-
runt. Scribitur autem Johannes baptizasse (in Jor-
dane flumine,) ut ostendatur ipsum non peculiari-
bus ceremoniis aquam Baptismi preparasse, vel
consecrassè: ut Num. 19, 9. sed simplicem aquam,
ut in Jordane præterfluebat, ipsum usurpasse. Et
quia in oblationem promissionis regni cœlo-
rum, & fidei in Christum mox ad futurum, bap-
tizabat, hoc verbum fuit sanctificatio Baptismi Jo-
hannis. Et figuræ ad Baptismum congruentes,
quæ in Jordane præcesserunt, consideranda sunt.
Populus enim Israel quondam, transiens Jorda-
nem: siccis pedibus ingressus fuit terram promif-
sionis. Elias etiam, transito Jordane, igneo curru
in cœlum assumptus est. In Jordane etiam Naam-
an, à lepra mundatus, membrum populi DEI
factus est. Quæ omnia ad Baptismum pulcrè
conveniunt. Per hoc enim lavacrum regenera-
tionis Spiritus S. mundamur à lepra peccati: ad-
scribimur populo Dei: & aperitur nobis introi-
tus in regnum cœlorum, & in regionem viven-
tium credentibus promissam.

Jucunda autem est observatio, quòd ex textu
colligi potest, quòd fuerit examen, & quæ pro-
fessio eorum, qui ad baptismum à Johanne ad-
mittebantur. Neque enim promiscuè quosvis,
quorum doctrinam & fidem ignorabat, baptiza-
vit. Matthæus igitur & Marcus dicunt: (Baptiza-
bantur ab illo, confitentes peccata sua) Quòd ad pœni-
tentiæ professionem pertinet: quòd scilicet agno-
verint se esse peccatores, & cum verbis tum
ipso facto, quòd baptizari se peterent, professi
sunt,

sunt, se timere iram Dei ac cupere illam effugere. Ita enim postea sequitur. (*Quis monstravit vobis fugere iram Dei?*) Et Act. 2. v. 37. qui compuncti erant corde, interrogant: Quid faciemus viri fratres? sicut Iohannem turbæ interrogarunt. Non intelligenda autem est secreta & scrupulosa illa Pontificiorum enumeratio omnium peccatorum. Uti enim Evangelistæ vocabulo ἐξομολογήμενοι quo Græci 2. Par. 6, 24. reddiderunt יָדוּ אֵימָהּ quod liberè & publicè fateri significat, atque ideò alibi Græci reddiderunt per ἐξαγορεύειν, Pl. 3, 25. Dan. 9, 20. Et exempla talis confessionis extant, 2. Par. 6, 23. & Dan. 9, 4. Si conversi in corde suo egerint pœnitentiam dicentes: Peccavimus, inique fecimus, injustè egimus, declinavimus à mandatis tuis, nobis confusio faciei. Et Efd. 9, 6. Timebant verbum Dei ob transgressionem, & dixit Esdras: Erubescio faciem meam attollere ad Deum, quoniam delicta nostra creverunt usque ad cœlum. Et hæc generalis peccatorum agnitio appellatur confessio, Efd. 10, 11. Similiter etiam Neh. 1, 6. Præterea verò etiam, quando gravioribus implicati fuerunt lapsibus, illos in specie etiam confessi sunt: sicut extant talis etiam specialis confessionis exempla, Lev. 5. v. 6. & Num. 5. v. 7. Vir siue mulier, si prævaricati fuerint contra Dominum, confitebuntur peccatum suum. Ita Act. 19. v. 18. veniunt ἐξομολογήμενοι καὶ ἀναγγέλλοντες facta sua. Ita & Zachæus dicit. Luc. 19, 8. Si quem defraudavi, reddo quadruplum. Unde manifestum est, utrunque genus confessionis peccati in scriptura doceri. Primum igitur caput examinis seu professionis in Baptismo Iohannis fuit de pœnitentia: hoc est, de agnitione peccati, de timore iræ Dei & ignis inextinguibilis. Alterum caput recitat Paulus, Act. 19, 4. his verbis: Iohannes baptizavit baptismum pœnitentiæ, dicens populo, ut crederent in eum, qui post ipsum venturus esset, hoc est, in Jesum Christum. Sicut & Philippus Act. 9, 37. confessionem fidei in Christum requirit ab Eunuch, priusquam ipsum baptizet. Postremò subiecit Ioannes baptizandis exhortationem de fructibus pœnitentiæ. Et interrogationes turbæ (*Quid faciemus?*) ostendunt, ipsos propositum emendationis professos in baptismo. Hæ observationes & jucundæ & utiles sunt.

Porrò Lucas 7, 29. dicit, promiscuum vulgus & publicanos, qui multorum lapsuum conscii sibi erant, nec poterant sanctitatem vel merita jactare, certatim ac magno ardore suscepisse baptismum Iohannis: ita ut quasi violenter raperent regnum cœlorum, Matth. 11, 12. Phariseos verò & Legisperitos, sprevisse hoc consilium Dei, & noluisse baptizari à Iohanne. Quòd igitur Matthæus hoc loco dicit, (*multos ex Phariseis & Sadducæis venisse ad baptismum Iohannis,*) quidam ita intelligunt, quòd animo tentandi, sicut postea ad Christum, venerint: & verba sequentia, (*Quis monstravit vobis,*) intelligunt negativè, sicut Matt. 23. v. 33. Quomodo effugietis iudicium gehennæ? Sed contextus Matthæi hoc loco simpliciter ostendit, quosdam ex Phariseis & Sadducæis à Iohanne baptizatos: licet major ipsorum pars consilium illud Dei spreverit, sicut Lucas scribit cap. 7. v. 30.

Ut verò rectius intelligatur, quare hocce ad

baptismum suum venientes Iohannes durius exceperit, pauca quædam, quantum instituti nostri ratio fert, de Phariseis & Sadducæis annotanda sunt. Notum autem est, quòd illis temporibus quatuor præcipuè inter Judæos sectæ fuerint: Phariseorum scilicet, Sadducæorum, Essæorum, & eorum, qui tempore secundi census, auctore Juda Gaulonita, exorti sunt. Quarum sectarum, & dogmata & instituta seu mores, Josephus describit, de bello Judaico l. 2. & Antiq. l. 13. & 18. Et quarta quidem secta in omnibus cum Phariseis sentit: nisi quòd disputarunt, impium esse Cæsari census dare. Essæorum verò nominatim & expressè in historia Evangelica nulla fit mentio: Sed tantum Phariseorum & Sadducæorum.

Et Pharisei quidem non tantum ritus Leviticos seu legales, ratione magis exquisita, quam reliquum vulgus, observabant: sed præter legem habebant etiam ex traditionibus plures alias observationes externas, in quibus iustitiam & meritum vitæ æternæ collocabant, atque ideò regnum Messiaè politicum fore somniabant. Antiquissima verò eorum mentio apud Josephum fit sub Jonatha, tempore Machabæorum, annis ante natum Christum 150. Ac quia partem dominationis politice ad se rapuerant, instituisse tunc videntur traditiones illas, quæ post annos sesquicentum, tempore Christi, præscriptionem antiquitatis sibi arrogarunt, Matth. 5. v. 27. & 23. v. 2. & quia propter opinionem & speciem sanctitatis & pietatis etiam vestitu, habitu & victu se à reliquo vulgo separabant. Hieronymus libro quæstionum in Genesim, & contra Luciferianos sentit, dictos Phariseos à פָּרִישֵׁי quod dividere significat. Sed Judæi & Syrus etiam nomen Phariseorum scribunt per Schin: ideò aliqui à שְׁרִישֵׁי dictos volunt Phariseos tanquam explanatores & expolitores Legis, cuius interpretandi scientiam & auctoritatem ipsos sibi vendicasse, historia Evangelica ostendit. Et Josephus etiam inquit: Pharisei dicuntur, qui certiore legalium rituum notitiam profiterentur.

Sadducæi verò, quia fingebant à Fato, sicut Iosephus loquitur, hoc est, à Deo res humanas non gubernari, nec animarum immortalitatem, nec corporum resurrectionem credebant, nec existimabant, vel angelum vel diabolum aliquem esse, inde conceperunt opinionem, ideò excogitatum seu traditam religionem, ut eo tanquam fræno seu terculamento vulgus eò facilius in officio retineretur. Ritus igitur legales, non propter vitandam damnationem æternam, aut consequendam vitam æternam, sed tantum propter politica, externa & temporalia commoda observarunt. Hieronymus ex Tertulliano de præscriptione dicit: Sadducæos, repudiatis Prophetis, tantum libros Mosis recepisse: quod tamen Iosephus ipsis non tribuit. Volunt autem dictos à שְׂרִישֵׁי quasi iustos. Sed cum Iudæorum Epicurei fuerint, videtur ipsis iustitiæ appellatio non admodum convenire. Ideo alii à Sadoco, primo forsan sectæ hujus auctore, dictos volunt Sadducæos. Syri scribunt non per Zade sed per Zain: atque ita à superbia præsumptione & temeritate appellationem magis convenientem habuerunt Sadducæi.

Osten-

Ostendit autem hic locus, non in genere tantum prædicandam poenitentiam: sed ad personarum circumstantias ita accommodandam. Sicut Johannes videns populum sanabiliorem, placidius principio cum ipsis agit: animadvertens autem pervasionem Pharisaeorum & Epicureisum Sadducæorum difficilius moveri, duriori oburgatione poenitentiam ipsis concionatur, ut ita utrosque lucretur. Ac licet in gubernatione Politica & Ecclesiastica principem locum obtinerent Pharisei & Sadducæi, Act. 5. v. 17. & 23. v. 6. Johannes tamen pravas ipsorum opiniones & vitia, cum quidem videret populum ipsorum opinionibus fascinatum seduci, ac vitia ipsorum in exemplum trahi, publicè, liberè & duriter arguit, memorabili exemplo: Principum & prælatorum vitia, præsertim quando exemplo nocent, à ministris Ecclesiæ, non dissimulatione, quod Noachi pallium quidam esse fingunt, obtegenda, sed liberè ad emendationem, ut ipsi convertantur, & ad ædificationem, ut reliqui timorem habeant, arguenda 1. Tim. 5. v. 20. Nec verisimile est, Phariseos publicas illas reprehensiones tacitas devorasse; sed Johannes absque dubio multas cum ipsis habuit concertationes. Ideo enim Matthæus scribit, quòd Johannes præcipuum ipsorum argumentum, quòd essent filii Abrahami, magno zelo refutavit.

Quia igitur, Pharisei, propter pervasionem propriae justitiæ, iram venturam seu æternam damnationem non metuebant: Sadducæi verò propter Epicuræam securitatem, tale quid nec credebant nec metuebant. Et tamen utrique simulabant studium religionis. Johannes igitur vocat illos (*progeniem viperarum*:) ostendens simulatam æquitatem, esse duplicem iniquitatem: sicut veteres dixerunt; & hypocrisin Pharisaicam atque Epicuræam securitatem, esse præsentissimum ac maximè insanabile animarum venenum. Ut mirum sit, aliquem ex ipsis, ad effugiendam iram Dei, posse converti. Cumque religione aliàs in speciem tantum pro prætextu, ad vulgi applausum captandum, abuterentur, Johannes metuens, ne idem etiam in suscipiendo suo baptismo, cum vulgi zelum viderent, facerent, severè ipsos monet, ut veris fructibus ostendant serio se agere poenitentiam. Deum enim simulationes in religione multò gravius quam reliqua peccata punire; posita securi non ad ramos, sed ad radicem arboris. Nominans autem (*progeniem viperarum*) ostendit, se non privatorum tantum, sed totius ordinis, tam Pharisaeorum quam Sadducæorum, opinioniones & vitia taxare. Hæc totius periodi sententia est, quatenus ad Phariseos & Sadducæos directæ est.

Quia verò vulgus aliorum, & præsertim qui in aliqua excellentia constituti sunt, taxationes libenter audit, & inde sibi blanditur; Lucas igitur dicit; Johannem post illam cum Phariseis & Sadducæis concertationem à Matthæo descriptam, eandem oburgationem, & quidem iisdem verbis, ad vulgus etiam repetuisse: cum ex malo exemplo, iisdem pravis opinionibus & vitiis in vulgo etiam plurimi infecti essent. Vocabula igitur explicabimus, & quomodo accommodari possint, tum ad sectas istas, tum etiam ad vulgus,

Harm. Tom. I.

& in genere ostendemus. De viperis autem varii varia tradunt: atque inde etiam variæ sunt sententiæ, quare Johannes Phariseos appellet progeniem viperarum. Basilius & Ambrosius scribunt, viperam, inter omnia reptilia malitiosum & astutum animalculum esse, & murænam marinam sibilo evocare ad coitum. Illi sentiunt, Phariseos appellari progeniem viperarum ideò, quia malitiam & astutiam conjungant: ut scilicet extremam impietatem magna pietatis specie contegant. Sed alii dicunt utrumque sexum in viperis inveniri, ideò illas descriptiones vigere non constare. Plinius l. 10. c. 62. dicit, Marem caput in os viperæ inferere; quod illa voluptatis dulcedine abrodatur. Catulos verò in utero, tarditatis impatientes, latera perumpere occisa parente. Atque inde viperam dici, quod vi pariat vel quod vi pereat. Quidam sentiunt & Græcam etiam Etymologiam eo alludere volunt, *ἐχιδνα* dici *ἐχεν* *ἐν* *καυτήν* *τοῦ* *πυλῶ* *ἀρχαῖα* *δακνῶν*, quod ad interitum usque foetum intus contineret. Hoc Græcum vocabulum Syrus retinuit. Illi igitur existimant, Metaphoræ rationem explicari Matth. 23. v. 31. Filii estis eorum, qui Prophetas occiderunt, & vos implete mensuram patrum vestrorum. Nam & ibi vocantur progenies viperarum. Utridem sit, quod Proverbio dicitur: Mali corvi, malum ovum. Aristoteles verò de viperis hoc non scribit. Sumta autem videtur hæc phrasîs de progenie viperarum ex Isaia, quæ cap. 49. v. 5. falsam doctrinam & hypocrisin, comparat ovis aspidum: unde, si rampantur, prodeat viperæ venenatissima. Ac tales esse fructus prævæ doctrinæ & hypocriseos. Sophocles etiam in Trach. tricripitem cerberum inferni monstrum vocat *δῆμις ἐχιδνῶν τρέμμα*. Ita intelligi posset pharisaismum subinde ad deteriora apud posteros prolabi. Et hypocrisin, quacunque specie se palliet, esse tamen virulentam & venenatam malitiam. Sed Christus in genere videtur respicere ad illud, quod Gen. 3. v. 15. de serpente scriptum est: qui scilicet sunt ex diabolo Joh. 8. v. 44. & 1. Joh. 3. v. 8. Significatur enim natura veneno peccati à serpente infecta, quæ malitia, impia educatione, prava institutione, & simulata assuefactione, fiat insanabile & letale venenum, quale viperæ virus esse. Act. 28. v. 4. describitur. Ita Matth. 23. v. 33. Pharisei vocantur serpentes, progenies viperarum. Hæc ratio de progenie viperarum, & ad vulgus & ad Phariseos accommodari potest: ut scilicet venenum, seu ipsam radicem peccati, hoc est, originalem naturæ depravationem ostendat, & quomodo inde letalia peccata, quæ mortem pariant, oriantur, Jac. 1. v. 15. Item illos etiam, qui non habent externos lapsus, non debere sibi sanctitatis opinionem arrogare, quasi non egeant poenitentia. Naturam enim veneno peccati à serpente infectam, cui si accedat, vel Pharisaorum hypocrisis, vel Sadducæorum Epicureismus, fieri inde viperarum venenum, quod mortem æternam adferat. Hæc generalis accommodatio videtur simplicissima esse.

Quòd verò sequitur: (*Quis submonstravit vobis fugere à ventura in DEI?*) Admirantis sermo est, cum sciret, Sadducæos non credere, Phari-

saos non metuere iram Dei. Atque ita loqui voluit Baptista: ut significaret, se vix posse adduci ut credat serio ipsos agere poenitentiam, licet hoc profiteantur: ut ita pungat ipsos & ad serium conscientiae examen revocet. Potest etiam intelligi, ut sit oratio admirantis in genere, insignem Dei gratiam, qui operatione sua efficiat, ut natura viperea, hoc est, peccato ita depravata, convertatur. Deinde verò admirantis in specie gratiam illam Dei illustriorem, quòd Phariseis & Sadducæis etiam, qui obstinatè semper Spiritui sancto restiterint, dederit poenitentiam. Ex hoc verò contextu, descriptio poenitentiae talis potest sumi: quòd sit sollicitus affectus, divinitus per verbum subministratus, quòd serio cogitamus iram, quam propter peccata scimus nobis imminere, fide in Christum effugere. Et (*Venturam iram*) intelligit, non tantum futurum gentis excidium per Romanos: sed præcipuè æternam condemnationem. Nam Matth. 23. Christus, ubi eadem Metaphora viperarum utitur, dicit: Quomodo effugietis iudicium gehennæ? Et diligenter observetur, quare iram illam Dei appellet futuram. Neque enim vel tota in hac vita super peccatores effunditur. Imminet autem semper quasi capitibus nostris: sicut Baptista Johan. 3. v. 36. dicit: iram Dei manere super incredulos, quæ quasi thesaurizata seu in cumulum conjecta, Rom. 2. v. 5. ne tota effundatur, seu perveniat, in nos in die iræ. Col. 3. v. 6. & 1. Thess. 2. v. 10. idèo Deus concionem poenitentiae submonstrat nobis, ut effugiamus iram illam venturam. Et verbum *venturam*, significat, quando de periculo ex improvise imminente aliquis submovetur, ac ratio effugiendi præmonstratur. Ita 2. Par. 8. v. 9. usurpatur de indicatione hostium irruentium. Esth. 1. de indicatis insidiis, & 3. Esd. 2. de periculis aliunde secuturis usurpatur. Quia verò suspectos ipsos habebat de simulatione poenitentiae, cum verbis profiterentur se poenitere: Johannes dictis opponit verbum (*Facite*) in hanc sententiam. Si poenitentia in vobis est seria aversio à peccatis, verus timor iræ Dei, & sollicitus affectus, cupiens effugere iram Dei: sequentur in emendatione vitæ tales fructus in vitandis peccatis, & in studio operum Deo placentium, qui digni sint poenitentia, hoc est, qui deceant veram poenitentiam, & declarent vos ex animo respuisse, detestari peccata, ac nolle DEum offendere, sed velle illi servire. Interiorem enim mutationem, regenerationem & renovationem, quæ fit in conversione, significat non otiosam esse, si vera est: sed proferre bonos fructus. Et ne quis tum se tum alios hypocriti decipiat: (*Facite*, inquit, *fructus dignos poenitentiae.*) Exigit autem, non opera traditionum seu rituum Leviticorum, quæ ab hypocritis etiam præstari possunt: sed illis observationibus opponit fructus dignos poenitentia, hoc est, opera legis moralis, sicut mox explicabit, præscribens veros fructus turbis, publicanis & militibus.

Eximit autem ipsis persuasionem vanam quod Abrahamum patrem haberent. Sicut Jeremia minitanti iram Dei, & hortanti ad poenitentiam, opponunt: Templum Domini, templum Domini. (*Ne sitis hac mente*, inquit, *ut incipiatis dicere.*)

Et variationes illæ, quod Lucas habet verbum *ἀρχή*. Matthæus *ἀρχή*, non sunt otiosæ. Sed quia mens humana, quando ipsi proponitur concio poenitentiae, & exiguntur fructus, varia prætextuum effugia incipit quærere, arripiens nunc hoc, nunc illud. Lucas igitur dicit: (*Ne ceperitis dicere.*) hoc est, non arripiatis hoc effugium, ut illud velitis opponere concioni poenitentiae. Matthæus verò verbo *ἀρχή* persuasionem, notat de prerogativa generationis carnalis: quòd existimarent, sibi iram Dei non metuendam, licet poenitentiam non agerent, quia pactum gratiæ Deus inierit, non tantum cum Abrahamo, sed & cum semine ejus: Ero Deus tuus, & seminis tui post te. Quod ipsi de semine secundum carnem intelligebant, quod habebat externam persuasionem religionis divinitus traditam. Johannes igitur ipsorum persuasioni, quòd essent Abrahami filii, opponit: (*Progenies viperarum estis.*) sicut Joan. 8. v. 43. Christus inquit: Si filii Abrahami essetis, opera Abrahami faceretis: sed ex patre diabolo estis, quia desideria patris vestri facitis. Persuasionem igitur prerogativæ carnis & externæ professionis taxat, in hanc sententiam. Non existimetis semen Abrahami, hoc est, Ecclesiam Dei ad vos alligatam, quomodo vos cunque geratis. Nec periclitabitur veritas promissionis, si vos impoenitentes abiciat: (*Potens enim est vel ex lapidibus Abrahamo filios suscitare.*) ut nihilominus veritas promissionis constet. Et Metaphoram de lapidibus usitatam tunc fuisse constat, sicut Christus inquit: Si pueri tacebunt, vel lapides clamabunt. Simul etiam ostendit explicationem, quid sit verum semen Abrahami, quæ explicatio, Rom. 9. clarissime traditur. Hoc loco verò à Johanne obscurius indicatur magis quam explicatur, monstratis lapidibus in littore Jordanis, sive illis quæ describuntur, Jos. 4. v. 2. sive aliis. Videtur autem Johannes respicere ad locum, cum, Isa. 51. v. 1. & 2. ubi Propheta ostensus Abrahamum & Saram tunc, quando Isaac ex ipsis natus fuit, non magis ad generationem idoneos fuisse, quàm petra & lapis est, inquit: Attendite, ad petram, unde excisi estis, ad Abrahamum & Saram. Sicut igitur tunc Deus Abrahamo emortuo, tanquam petra, dedit semen, non secundum carnem, sed secundum promissionem, Rom. 9. v. 9. Ita & nunc Deus potens est, licet vos hoc repudiatis, ex illis Abrahamo filios excutere, qui ad hoc naturam non magis idonei sunt, quàm lapides isti. Atque ita hoc loco rectè intelligitur prædici vocatio gentium, sub lapidum appellatione. Sed hæc explicatio de verò semine Abrahami clariùs traditur Rom. 9. quæ ad hanc Baptistæ quasi parabolam conferenda est.

Subjungit autem vaticinium de imminente pœna extremæ abjectionis populi, sub metaphora securis positæ ad radicem arboris: quæ ex parabola de ficu, Luc. 13. v. 6. simplicissime, intelligi potest. Sicut enim hortulanus arborem sterilem fodiendo, stercorendo, inutiles & noxios ramusculos amputando, colit aliquam diu: tandem verò re deplorata radicem extirpat. Ita Baptista vult dicere, quòd Deus hæctenus gentem Judaicam multis beneficiis, & variis pœnis belorum, captivitatum, &c. ad poenitentiam provocavit:

vocârit: jam verò imminere extremum gentis excidium. Et reliquas pœnas comparat cultro putatorio adhibito ad ramos, & ad truncum arboris: hanc verò extremam pœnam comparat securi excisioni, admota radici arboris, ut prorsus extirpetur. Quæ pœna, & de excidio gentis per Romanos, & de extrema abjectione atque excecatione populi intelligitur. Opponitur enim persuasione, quòd putabant aliter fieri non posse, quin semper essent & manerent Ecclesia Dei, etiam si nullos bonos fructus facerent. Ut autem ostendat, pœnam illam è propinquo imminere propter majorem emphasim inquit: (*Jam vero & securis posita est, ac præsentem tempore utitur excinditur, projicitur.*) quasi monstrans manum Dei extentam, & securim jam arreptam, ut excisionem jam admoveatur. Mirabile autem videtur, quod dicit, eo ipso tempore, quando lux doctrinæ de gratia Novi Testamenti, incipit clarissimè per Baptistam & mox per Christum exoriri, Deum securim excisionem radici hypocritarum impœnitentium admove: cum hætenus longanimis multa quasi dissimularit. Sed hoc ipsum diligenter hoc loco observandum est. Quòd clarius lux verbi & gratiæ affluget, eò graviores pœnas mundi ingratitude inibi accelerare. Sicut Paulus inquit, Act. 17. v. 30. Hætenus Deus dissimulavit tempora ignorantia: nunc verò annunciat omnibus, ut agant pœnitentiam, quia statuit diem, in quo iudicaturus est orbem. Est autem *γῶγον* generalis opposita externæ professioni & simulationi religionis: Deum scilicet, non respicere ad externam speciem, an arbores virides & floridae sint, sed ex fructibus arborem cognosci. Omnem igitur arborem, sine respectu vel propagationis carnalis, vel professionis externæ, quæ non facit bonos fructus, excindi & conjici in ignem illum, quem mox vocat (*inextinguibilem.*) Quòd si hoc iudicium Dei est de arboribus infructuosis: quid de illis futurum est, qui sub specie religionis pessimis fructus proferunt?

Hac severa objurgatione Johannes Phariseos plerosque non fuisse motos, Christus ostendit Matth. 21. v. 24. In vulgi verò animis oratione illa Baptistæ compunctis, talis sequuta fuit sollicitudo, quòd post susceptum Baptisma, cum viderent, a Phariseis, qui ritus Leviticos & opera traditionum diligenter observabant, tam seriò exigi veros pœnitentiæ fructus, interrogaverunt Johannem: (*Quid ergo nobis faciendum est?*) ut fructus dignos pœnitentiæ faciamus? Proponit autem Johannes ipsis non ritus Leviticos, quorum finem adesse docebat: non opera traditionum, quibus frustra Deum coli sciebat: sed legem charitatis ipsis præscribit, dicens: (*Qui habet duas tunicas &c.*) Varia autem disputata fuerunt de hoc loco, quasi non liceat bona conscientia duas habere tunicas, vel aliquid repositum, præterquam quod in præsentem & quotidianum usum erogetur, possidere: vel quasi communionem bonorum doceat. Sed usitatus Ebrææ linguæ mos est, doctrinam generalem exemplo particulari proponere, ut Exod. 23. v. 5. generalis doctrina de diligendis inimicis, particulari exemplo de sublevando collapso inimici

asino traditur. Et Matth. 5. v. 39. & 40. patientia in tolerandis injuriis, quando defensionem Magistratus impetrare non possumus, & generalis doctrina prohibens vindictam privatam, exemplo obvertendæ maxilla & ablati pallii proponitur. Ita hoc loco Johannes generalem doctrinam de dilectione proximi, uno atque altero de vestimentis scilicet & cibus exemplo ideo complexus est: quia hæc omnibus necessaria sunt, sicut Paulus inquit 1. Tim. 6. v. 8. Habentes alimentum, & quibus tegamur, his contenti sumus. Generalis verò sententia est, ut proximi necessitatem pro sua quisque facultate sublevet. Et non possumus certiore habere interpretationem hujus sententiæ Baptistæ, quam Paulum: qui doctrinam illam regula generali ita interpretatur 2. Corinth. 8. v. 14. Vestra copia aliorum succurrat inopia. Non ut vobis tribulatio, aliis sit remissio, sed ut sit æqualitas, pro ratione circumstantiarum. Quidam mirantur Baptistam tantum de operibus secundæ tabulæ loqui, non facta mentione cultuum interiorum prioris tabulæ. Sed historia ostendit, illos qui baptizabantur, habuisse timorem Dei, fidem in Christum, ac dilectionem Dei: hoc est, propositum obediendi Deo, qui sunt spirituales cultus in prima tabula. Quia verò Pharisei externis ceremoniis dediti, opera caritatis proximi non curabant: Johannes igitur illis rejectis, hæc præscribit illis, qui bonos fructus facere velint.

Quòd verò sequitur de publicanis & militibus interrogantibus. (*Magister, quid faciemus?*) Hanc habet sententiam. Quia Essæorum opinio tunc erat, illis, qui *sepulturentur*, hoc est, Dei cultores esse vellent, deserendam esse vitæ civilis societatem. In desertis enim peculiaribus vitæ instituta habebant Essæi, quæ apud Philonem & Josephum descripta extant, Pharisei etiam suas observationes sanctiores esse contendebant, quam vulgaria vitæ communis opera. Quædam verò vitæ genera, ut publicanorum & militum, Judæi prorsus damnabant: ut quæ libertati suæ contraria esse videbant. Johannes igitur à publicanis & militibus, ad Baptisma ad se accedentibus, interrogatus, ita respondet: ut ostendat, Evangelium politicas honestas ordinationes non improbare, tollere aut damnare: sed omnes ordinationes politicas, & omnia genera vitæ, ad Decalogum exigenda esse, & si huic consentanea sint, atque juxta cum administrantur, posse quemque bona conscientia in sua vocatione manere. Nec opus esse, vel in Eremum cum Essæis secedere, vel cum Phariseis peculiare observationes excogitare: sed posse quemque in sua vocatione, si juxta Decalogi normam sua opera dirigat, Deo servire. Hæc generalis doctrina, de veris Dei cultibus, contra Pharisaicas persuasiones, de peculiaribus extra verbum Dei observationibus, utilis est & omnibus temporibus fuit necessaria. Et observetur ordo, quòd Johannes primum in genere turbis præscribit caritatis officia, quæ omnibus Christianis sunt communia. Deinde singulis vitæ ordinibus, ut publicanis & militibus, &c. Peculiaribus suis juxta Decalogi normam præscribit officia.

Quòd

Quod autem ad publicanos attinet, τὸν σὶ-
gnificat, vectigal, tributum & reliquos publicos
reditus, τὸν δὲ seu τὸν δὲ dicebatur, qui vel
Romanorum nomine vectigalia & tributa illa
exigebat & colligebat: vel qui certa & conflitu-
ta summa pecuniæ, publica illa vectigalia & tri-
butum populi Romani, in certo aliquo loco re-
dimebat, ut deinde in particularibus exactioni-
bus plus posset corradere. Nec viles fuerunt ho-
mines publicani, apud Romanos præsertim, Ci-
cero enim dicit: Flos equitum Romanorum, or-
namentum civitatis, firmamentum Reip. publi-
canorum nomine continetur. Sed iniquitas rap-
inarum, & exactionum, & extorsionum in pub-
licanis ita crevit, ut peculiaribus legibus de du-
plici restitutione coercenda fuerit. Et Ulpia-
nus inquit: Quanta audaciæ, quantaque teme-
ritatis sint publicanorum factiones: nemo est
qui nesciat. Et tamen tales etiam homines, ut
publicanos & milites, rapinis & expilationibus
deditos, nec religionis nec honestatis magnam
rationem habentes, voce Johannis ad peniten-
tiam commotos Lucas scribit. Cumque Pharisei
omnes publicas Romanorum exactiones & eo-
rum ministros, tanquam tyrannidem & mini-
stros tyrannidis, qua se, ut populum Dei libe-
rum, contra legem premi putabant, damnarent,
Johannes non jubet ipsos vocationem deferere:
sed iniquas extorsiones, injustas exactiones, &
crudeles expilationes ex septimo præcepto pro-
hibet, quas Zachæus, Luc. 19. v. 8. restitutione,
quadrupli, furtum esse fatetur. (Nihil, inquit,
amplius, quam quod constitutum est vobis, exigere.) Si-
gnificat autem verbum τὸν δὲ publicas con-
stitutiones & ordinationes. Et τὸν δὲ, pro eis
πράττειν, hoc est, pro petere, exigere & colligere
pecuniam, publicam præsertim & mulctatitiam,
usurpatur. Et Ebraum שׂוֹר exactorem, qui vel
debitum vel operas publicas affligendo exigit.
Græci Isa. 9. v. 4. vocant τὸν δὲ. Syrus reddidit
per verbum, quod postulare significat. Conve-
nit igitur hic locus cum Paulo Rom. 13. v. 7. de
solvendis vectigalibus & tributis.

In responsione verò ad milites, Aug. Ep. 5. ad
Marcellum, eruditè hoc observavit. Si Christia-
na disciplina omnia bella culparet, hoc potius
consilium Baptista dedisset, ut abjicerent arma,
seque militiæ omni subtraherent. Vitia autem
militibus familiaria taxat, & contraria docet. Et
non tantum ad sententiam, sed ad ipsa verba Sa-
muelis. 1 Reg. 12. v. 13. respicit. Quem calumnia-
tus sum? aut quem concussi aut oppressi? Quia
enim milites solent provinciales seu cives, quo-
rum defensioni destinati sunt, variis violentiæ
modis vexare & opprimere: dicit Johannes, (Ne-
minem τὸν δὲ.) quod verbum concussionis,
defensionis & publicæ tranquillitatis opponitur.
Græci etiam Ebraum שׂוֹר quod de hostili con-
cussione regnorum & murorum dicitur, reddi-
derunt verbo σείω. Samuelis verò verbum, 1.
Reg. 12. v. 3. oppressionem, conculcationem,
conquassationem. Secundò quia post victori-
am solent milites per calumniam innoxios ad
principes deferre, quasi seditionis, læsæ majesta-
tis, &c. reos, ut ita facultatibus exuantur & per-
dantur: dicit igitur, (Neminem σὺκοφαντήσασθαι.)

Verbum enim σὺκο quod significat non aperta
vi, sed fraude uti, ad spoliandum aut everten-
dum aliquem, Græci reddiderunt verbo σὺκο-
φαντήσασθαι: quod significat falsò aliquem deferre, &
calumniis circumvenire. Possent verò duo hæc
vocabula etiam ita exponi, ut causa belli non sit
sycophantia, nec bella ita gerantur, ut fiant con-
cussiones seu vastitates: sed ut, oppressis seditio-
sis vel latronibus, pax & tranquillitas constitua-
tur. Tertiò, meminit etiam stipendiorum, quæ
vocat δὲ ψάλια. Olim enim non in ære aut argen-
to, sed in certò demensò annonæ, militibus nu-
merabantur stipendia. Quia verò milites stipen-
dia aleis, scortis, &c. dilapidant, & rapinis relacri-
re conantur, ac militant plerique, non ut pacem
tueantur, sed ut opes ex rapinis & expilationibus
cumulent, ideò Johannes dicit: (Contenti sicut or-
dinariis stipendiis.)

Cum igitur Johannes hoc modo per duos
fermè menses, (si Epiphanius supputationem se-
quamur) magno undique omnium ordinum
concurfu in ministerio suo docendo & bap-
tizando versatus fuisset, crescebat ejus auctoritas,
qua Deus ipsum circumdatum esse voluerat, jam
inde à conceptione usque. Et quia populus us-
que in secundum jam mensem adventum Me-
ssia, quem jam jam adventare Johannes prædica-
bat, anxie expectaverat, & tamen manifestatus
nondum erat: cœperunt igitur omnes & apud
se cogitare, & inter se disputare, forsitan, Joh-
annem virum tantæ auctoritatis esse ipsum Me-
ssiam, quod ipse fortè modestiæ causa de se nollet
prædicare. Sed Johannes, ubi hoc cognovit, pub-
licè omnibus audientibus confirmavit, se non
esse Messiam: sed (Adventare illum post se.) Quòd
enim dicit, ἵμῶν μὲν, ad Malachia locum respi-
cit, quòd jam sit in via, & à tergo præcurso-
rem suum subsequatur. Ideò præsentì tempore utitur
ἐρχεται. Hoc autem testimonium Baptista de
Christo, non esse idem cum eo, quòd Joh. 1. v. 26.
describitur, licet verba quædam conveniant,
circumstantiæ temporis & personarum osten-
dunt. Hoc enim ante Baptisum Christi ad vul-
gus Johannes præbuit de Christo. Illud verò,
quòd Johann. 1. v. 19. describitur, post Christum
baptizatum ad legatos publicos dedit. Et quòd
hoc loco describitur, Johannes non semel dixit,
sed aliquoties ad vulgus repetiit: sicut ex colla-
tione trium Evangelistarum colligitur. Utque
in textu illud animadverti possit: ideò verba illa
in Harmonia bis repetere volui. Illa igitur occa-
sione cœpit Johannes accurata oratione inter se
& inter Christum discernere. Hoc enim præ-
cipuum erat officium Johannis, testimonium
perhibere de Christo. (Ideò ego, inquit, veni in
aqua baptizans.) ut Messias innotesceret Israeli.
Joh. 1. v. 31. Et non semel hæc à Johanne dicta,
sed aliquoties repetita esse, colligitur ex variatio-
ne verborum: quòd Matthæus de calceamentis
portandis, Lucas de corrigia calceamentorum
solvenda loquitur. Vocat autem Christum
ἵδω πρότερον se. Primò ratione persona: ut qui non
sit ἵδωτος, (idoneus) & sufficiens inter servos Mes-
sia vilissimum locum obtinere, & infimum ser-
vitudinis obsequium (Portandi scilicet calceamen-
ta) (in calidis enim illis regionibus nudis sæpè
pedibus

pedibus incedebant, & calceamenta portabantur ad futuras necessitates) vel solvendi corrigiam calceamentorum. Species enim obsequii & reverentiae hæc fuit, sicut Polycarpus apud Eusebium faterur, se nunquam calceamenta sibi detraxisse: sed hoc obsequio semper à discipulis se præventum. Cum verò inter hominem & hominem proportio quædam sit: & hic vir sanctissimus ac summæ auctoritatis, maximus inter natos mulierum in comparatione ad Christum ita loquatur: significat igitur, majestate & dignitate homine majorem esse Christum, hoc est, Deum. Nam & *ἰσχυρός* Dei epitheton est, Neh. 9. v. 32. Apoc. 18. v. 21. Secundò etiam quoad officium. Christus Baptista ita major est: ut sanctissimus & Spiritu sancto plenus Johannes fateatur, se in illis quæ ad officium Messie pertinent, non posse aliquid vel tantillum præstare, quale est calceamenta portare, vel corrigiam solvere. Requiritur enim ad officium Messie, potentia vincendi iram Dei, peccatam, Sathanam, mortem, infernum, liberandi homines de manu inimicorum illorum, adducendi iustitiam æternam, reconciliandi homines cum Deo, &c. quæ potentia in nulla creatura tanta esse potest, sed solius Christi est, qui Deus & homo est, vocatus à Deo ad hoc officium.

In eo verò quod sequitur, (*Ego baptizo aqua*) non confert suum baptismum aquæ cum baptismo aquæ, si à Christo detur. Christus enim neminem aqua baptizavit, Joh. 4. v. 2. nec suum baptismum cum Apostolorum baptismo confert: sed suam personam & ministerium cum Christi persona & officio confert. Quæ differentia in omnibus aliis etiam ministris locum habet. Ego, inquit, externam tantum vocem præbeo, ad prædicationem poenitentiae & remissionis peccatorum & manu meam aquam ad tingendos vos ministro, ad poenitentiam, hoc est, ut ostendam, opus vobis esse conversione: ut autem per illud externum ministerium intus animi ad poenitentiam convertantur, fide illuminantur ad remissionem peccatorum, & Spiritu sancto renouentur, hoc, inquit, ego non possum efficere, & ne tantillum quidem, quantum est corrigiam solvere, sed hoc in solidum est opus, efficacia & donum Christi. Illis autem verbis, cum inquit: (*ille baptizabit vos Spiritu sancto & igno*) respicit ad futuram tunc visibilem, in ignis specie, effusionem Spiritus super Apostolos in Pentecoste. Ita enim Lucas expressis verbis hunc locum interpretatur. Act. 1. v. 5. Et illa visibilis donatio fuit testimonium, Christum accepisse & habere donum effundendi Spiritum super credentes. Act. 2. v. 33. & vocatur Baptismus, allusione ad vocabulum effundendi. Baptismus enim seu tinctio fit etiam perfusione. Non autem visibiliter tunc tantum Spiritum effudit: sed nunc etiam donat Spiritum per auditum fidei, Act. 10. v. 44. Gal. 3. v. 2. & in baptismo aquæ Tit. 3. v. 6. Hæc interpretatio, quia ex Scripturæ fontibus sumpta est, fallere non potest. Falsi igitur fuerunt Seleuciani & Hermiani: qui suis in Baptismo crucem, ignito ferro, loco aquæ impesserunt. Magis verò falsus fuit Origenes, qui disputavit, quosdam in hac vita aqua & Spiritu baptizari, quosdam ve-

rò post hanc vitam igne purgatorii baptizari. Alii per *ἰσχυρός* putant vocem ignis adjectam, ut Spiritus efficacia illuminandi, purgandi, accendendi ita exprimat. Quidam de tribulationibus exponunt: Sed interpretatio Act. 1. v. 5. simplicissima est. Et quia per ministerium Baptista multi fuerint conversi ad poenitentiam. Luc. 1. v. 79. illuminati ad fidem Act. 19. v. 4. renouari ad bonos fructus Matth. 3. v. 7. quæ non sunt humanarum virium, sed Spiritus sancti dona, fructus & opera. Ergo etiam in Joannis baptismo Christus baptizavit Spiritu sancto. Nam baptismus Christi est effusio Spiritus sancti, quem effundit, ut ostendimus, in auditu fidei & in baptismo. Sed hanc disputationem de baptismo Joannis, plenius (ut dictum est) explicavimus, in Examine Tridentini Concilii.

Observandum autem est, quòd Scriptura aliquando conjunctim loquitur de ministris, & de efficacia ministerii per Christum, ut Act. 26. v. 18. Mitto te, ut aperias oculos, & convertantur. Et 1. Tim. 4. v. 16. Hæc faciens, salvum facies te & alios, Joh. 20. v. 23. Quorum remiseritis peccata, &c. Quando verò scriptura distinctè exponit, quæ sint ministri partes, & quod proprium Christi, ne efficaciam ministerii ab hominibus ministris pendere putemus, & quod Dei est, hominibus tribuamus, tunc Paulus planè ita sicut Baptista loquitur: 1. Cor. 3. v. 6. & 7. Paulus plantat, Apollo rigat, Deus verò dat incrementum. Neque igitur qui plantat, neque qui rigat aliquid est, sed qui incrementum dat Deus, (*Quæ sententia ostendit, inter Baptistam & Apostolos hac in parte nihil esse discriminis: eodem enim modo loquitur Paulus quo Baptista*) Et tamen ne divellatur efficacia Christi ab externo ministerio, Scriptura aliàs conjunctim loquitur, sicut ostendimus, Act. 26. v. 18. Joan. 20. v. 23. 1. Tim. 4. v. 16.

Differentiam igitur inter suum ministerium & inter officium Christi Johannes ponit. 1. In opere redemptionis. 2. In efficacia per verbum & Sacramenta, in articulo justificationis & sanctificationis. 3. Addit & hoc Johannes Christo datum iudicium, credentes salvandi & reprobos damnandi (*Cujus ventilabrum in manu ejus, &c.*) Et sicut antea, quia nominarat fructus poenitentiae, assumpsit similitudinem arborum: ita nunc eadem occasione, quia de fructibus dixerat similitudine frugum, aræ, horrei & ventilationis utitur, & eam ad redarguendam hypocrisin dirigit. Baptista, Apostoli, & alii ministri sunt messorum, ex agro hujus mundi colligentes ministerio suo frumentum in aream Domini, quæ est in ecclesia, in qua simul sunt palea & triticum: hoc est, mali & boni. Ac hypocritæ, quia infructuosi & inanes sunt, palea nominantur, & externa specie ac professione bonis in hac vita permixti. Verè credentes comparantur tritico: quia sunt fructuosi & pleni Spiritu. Et similitudo palearum & tritici usitata est in Scriptura, Psal. 1. v. 4. Job. 21. v. 19. Jer. 23. v. 28. Matth. 13. v. 24. Et in hac quidem vita per triturationem, hoc est, per crucem, tentationem & tribulationem palea aliquando decutiuntur à tritico: sed tamen manet permixtio, hypocritæ florent, pii cruce premuntur, unde hi sæpius turbantur, illi

illi verò in sua hypocrisi confirmantur. Ultrisque igitur, his quidem ad consolationem. Illis verò ad excutiendam securitatem proponitur articulus de secundo adventu Christi ad iudicium. Non enim perpetuò talis erit mixtura: sed tempore iudicii perfecta fiet separatio hircorum ab hœdis. Atque propterea Evangelistæ utuntur verbo *ἀναθήματα*. In hac enim vita Christus cribratione aliquando purgat aream suam: sed purgatio seu perfecta purgatio in extremo tandem fiet. Ac tunc demum credentes reportabunt finem fidei, salutem animarum. Jam enim habent beneficium Christi inchoatum, hoc est, filii Dei sunt, sed nondum apparuit, 1. Joan. 3. v. 2. salvi sunt, sed sp̄e, Rom. 8. v. 24. ambulant non in specie, sed in fide, 2 Cor. 5. v. 7. Tunc verò consummatum erit beneficium Christi in vita æterna. Et utrumque beneficium Christi Johannes describere voluit. Significat autem *δορυμην* in genere locum, ubi aliquid reponitur. Exod. 16. v. 23. Deut. 28. v. 5. Jer. 50. v. 30. &c. hoc verò loco regnum Dei seu vitam æternam denotat. Significanter autem dicit (*Triticum suum congregabit in horreum suum.*) Credentes enim sunt hæreditas Domini. De hypocritis verò loquitur in genere, (*Paleam comburet igne inextingui-*

tibili.) In hac enim vita conciones pœnitentiæ & comminationes iræ Dei, propter longanimitatem Dei, Rom. 2. v. 4. non curantur. Non autem perpetuò durabit illa patientia Dei: sed pœnitentiæ æternæ damnationis tunc addicentur, qui non egerunt pœnitentiam. Et (*ventilabrum*) significat potestatem iudicium faciendi, quæ Christo data est: Ebraismus verò est duplicis genitivi, (*cujus ventilabrum in manu ejus*) vel sensus est, quod ventilabrum suum jam in manus sumpsit, quasi jam paratus ad faciendum iudicium.

Et hæc sunt, quæ ante baptizatum Christum, Johannes docuit. Lucas autem addit: ipsum (*et alia multa docuisse*) quæ sigillatim non sint descripta: sed hæc eorum, quæ docuit, summaria capita esse indicat. Duobus autem vocabulis Lucas Baptistæ doctrinam designat, verbo *ἐνυγγε- λισε* doctrinam de persona, de officio, regno & beneficiis Christi complectitur. Verbo *κατακα- λων* prædicationem pœnitentiæ, comminationes iræ divinæ & exhortationes ad bona opera intelligit. Et in hisce capitibus consistit summa doctrinæ cœlestis.



FINIS LIBRI PRIMI.



LIBER

verba ex 42. Isaiæ sumta esse. Et in toto illo capite, vocatio & missio Christi ad ministerium, multis pulcherrimis verbis describitur. Atque antea dixi de illa regula, totum locum Scripturæ, unde verba quædam allegantur, inspiciendum esse. Quomodo itaque hæc postrema pars vocis paternæ, quæ aliàs videtur quasi abrupta esse, ad præfens negotium inaugurationis & missionis Christi accommodetur, ex illo loco Isaiæ intelligi potest, sicut postea Matth. 17, 5. in transfiguratione, pater hanc ipsam vocem repetens, addit, (*ipsum audite.*) Et hæc est certissima interpretatio vocis paternæ, si reliqua, quæ Isai. 42. scripta sunt, huc conferantur. Verbum autem, quo Isaias utitur, quod Græci reddiderunt *εὐδοκῆσαι*, est *רצו*, quod significat bonam voluntatem erga aliquem habere, gratum & acceptum aliquid habere, in aliquo requiescere. Et frequens ejus usus est, quando Deus scribitur sacrificium, oblationem vel orationem, vel acceptare, vel non acceptare, ut Job. 33, 26. Psal. 51, 21. & 119, 122. Malach. 1, 8. Exod. 28. Levit. 19, 7. & 22, 23. 27. Et hæc significatio pulcherrimè convenit ad Christum, qui & preces & victimam corporis sui oblaturus erat, in redemptionem pro omnibus. Syrus habet verbum *רצו*, quod beneplacitum, complacentiam, & animi propensionem significat. Et constructio vel est transitiva in ipsum Christum *ἐν σοὶ εὐδοκῆσαι*, te benevolentia complector, vel in te, hoc est, propter te sum animo placato & benevolo, erga alios scilicet. Paulus certè, Col. 1. v. 19. ad hæc verba vocis paternæ non obscure alludens, eorum usum ita ostendit, cum inquit: In Christo *εὐδοκῆσατε* omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, pacificatis per sanguinem crucis omnibus. Et Eph. 1. v. 5. totum mysterium redemptionis & salvationis describitur *εὐδοκία* patris, quæ fundamentum habet in Christo. Hæc collocatio jucunda est, quomodo Apostoli ad

hæc verba vocis paternæ respexerint. Sed de vocabulo *εὐδοκίας* plura annotavimus Luc. 21 in historia natiuitatis.

Vetus verò Ecclesia in publicis canticis pulchram facit antithesin. Quod Deus, quando genus humanum in peccatis juxta legem aspicit, meram videat abominationem, Rom. 3, 10. Pl. 14. v. 2. Et tristem illam vocem emittit, pœnitent me fecisse hominem, Gen. 6, 6. Jam verò in dilecto filio, respiciens assumtam humanam naturam, tunc, cum ad officium redemptionis ingendus esset, lætam & propitiam hanc vocem emittit: (*Hic est filius meus in quo sum placatus hodie.*) Ita enim vetus Ecclesia verbum *εὐδοκῆσαι* intellexit. Tota igitur æterni patris complacentia in hoc solo filio incarnato acquiescit, residet, & quasi deposita est. Et ideo in auguratione officii Christi, hæc vox complacentiæ sonat, ut ostendat, ideo filium ad officium Mediatoris iungi, ut in eo Deus mundum sibi reconciliet, 2. Cor. 5. v. 19. ut in hoc dilecto nos etiam pater sibi placentes & acceptos reddat. Eph. 1. v. 5. & propter hunc sit *εὐδοκία* in reliquis etiam hominibus, Luc. 2. v. 14. Ex plenitudine enim ejus omnes accipimus, gratiam seu complacentiam pro gratia. Et quia Isai. 42, 1. de persona Christi Pater dicit: In te complacitum est animæ meæ: Ideo propter hunc etiam de ecclesia dicitur, Isai. 62, 4. Non dicetur tibi derelicta, sed vocaberis beneplacitum meum in ea, quoniam beneplacitum habet Dominus in te. Et hæc est optima interpretandi ratio, quando & vocabula ex Scriptura declarantur, & usus seu accommodatio doctrinæ in Scripturæ sententiis monstratur.

Hæc, de observatione circumstantiarum & vocabulorum hujus historiæ, prolixius ferè quàm pro instituti nostri ratione, annotavi. Plurimum enim hac historia delector, propter illustrem patefactionem, quæ plena est suavissimæ consolationis.

CAPUT XVIII.

CONTINENS GENEALOGIAM CHRISTI DESCRIPTAM A LUCA.

RATIO ORDINIS.

LUCAS historiæ baptismi Christi continuata serie, ita ut divelli non possit, annectit descriptionem genealogiæ ipsius, ea occasione. Quia enim in baptismo circa Jordanem Pater æternus sonora voce è cœlis denunciârat toti mundo, hunc Jesum Nazarenum esse filium Dei viventis; Lucas addit, hæcenus usque ad illud tempus Jesum vulgò habitum pro nudo seu communi homine tantum: & quidem homines in ea fuisse opinione, quod Maria ipsum ex Josephi femine peperisset. Et Lucas alterum ita concedit: quod, licè filius Dei sit, simul tamen etiam verus sit homo, ex femine Davidis juxta Scripturæ va-

ticinia natus, id quod descriptione Genealogiæ ipsius ostendit. Hoc igitur Lucas illa connexionione historiarum agit, ut ostendar: 1. Christum non esse *ψιλὸν ἀνθρώπον*, nudum hominem, sicut vulgò usque ad baptismum habitus fuerat: sed esse filium Dei viventis, seu æterni Patris. 2. Ne existimerur tantum esse Dei filius, Lucas attexit ejus genealogiam, inde ostendens, ipsum etiam verum esse hominem. Alterum verò de Josepho negat & refutat, addens, *ὡς ἐνομίετο, (ut putabatur.)* Syrus reddidit verbo *רצו*, quod opinionem & conjecturam significat: quam homines inde conceperunt, quod Maria & desponsata esset Josepho, & in ipsius domum traducta, quodquæ à Josepho & Maria educatus